BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
20 — G
22

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

53.3.48.
53
E
48
53-E-51

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ORTHODOXÆ FIDEI CONTROVERSA.

LIBER I.

De Scripturâ, Traditionibus, Iudice.

LIBER II.

De APOSTOLICÆ FIDEI germanis denuntiatoribus.

CAROLVS SCRIBANIVS *Societatis* IESV *Theologus ſcribebat.*

Colleg. Rom. Soc. Iesu Cat. ins.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. DC. IX.

B. S.

ILL^{MO} ET REVER^{MO}

PRÆSVLI

D. GVILIELMO DE BERGES, ARCHIEPISCOPO ET DVCI CAMERACENSI, PRINCIPI S. R. IMPERII, COMITI CAMERACESII.

LIBRI nuper prodierant in DIVAM HALLENSEM, SICHEMENSEM, in Orthodoxæ & Apoſtolicę fidei cultores omnes: erantque qui LIPSIO auctores eſſent aliquid ex vero reponendi. Noluit. & audita non ſemel illius hæc vox apud amicos inhortantes: Quid ego in homines in-

Digitized by Google

quietos , & turbidos , quibus ynum ſtudium litigare? Canibus ferè inſitum ſine diſcrimine latrare : tales hos video; & morbo, non iudicio ſcribere. Vultis latrantibus , aut à febri ſpumantibus , obiectu laciniæ & lapidis Lipſium occurrere? vultis cum hoc improbo latratu me componere, & includere in eodem circo?&vt includar,quid reponam? Seria?Vix patitur aduerſariorum maledicentia. Nec eſt meum ſordes regerere in has Xantippes. tonent, Socrates ſedebo domi; aut in veſtibulo illius ridebo pluuias. Hæc ille,animò Chriſtianè Stoico. Cùm pergerent interim amici,& moleſtior non nemo; Heu importune, aiebat, qui iam abeun-

euntem, & maiora meditantem, ſuperuacuò laceſſitis: non deerit amica aliqua manus (& me deſignabat) quæ Lipſium non patietur inultum. Dixerat, & euocatus ad ea, quæ præſagiebat animus, ſpartam hanc reliquit intactam. Itum proinde ad me: & minimùm abfuit, quin conſertâ manu in ius traherent; tamquam non iam deſignatione, ſed Lipſianâ ſponſione tenerer reus. Contemnerem? feci non ſemel. obdurarem? fatebor, vicit importunitas. nec ſum tam duri pectoris, vt non molleſcam precibus: & quem nullæ flectant minæ, vincunt carorum monita. Ergo perſuaderi mihi ſuperioribus his menſibus ſum paſſus, ne indonatos popu-

lares hos Ædiles dimitterem.

Hic quiſquam : An auctores hi tales, quorum improbitati aliquid poſt LIPSI ſilentium, & DIVA, cuius meritis iure debeas? Planè. nam & huic poſt Deum omnia debeo : & publicè intereſt tam effrenem petulantiam reprimi, innocentiam defendi. Erat vtrumque amoris mei, in DIVAM, in LIPSIVM: & in hunc calumnias leui manu abſtergeri, muneris fuit mei. Feci : magis ne quis ſilentium omnium noſtrûm conſenſum duceret, quàm vt tam improbæ maledicentiæ (quis ſperet?) frenos iniicerem? De DIVA, quam iuit inſcriptam ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO, tuus, meus, omnium noſtrûm LIPSIVS, proximis,

mis, cum Bono Deo, noctibus videbo: nunc præludia quædam & quaſi anteiacula præmittenda mihi viſa, quæ aduerſarij non vno loco tangunt. Quod dum facio, modeſtiæ, quibus hunc calamum ſepſi, terminos nuſquam egrediar: imò nec latum crinem aram huius deſeram. ita voueo. ſcopuloſque imitabor: aſſilientes fluctus immoti frangunt; ſic ego conuitiatores hoſce ſine acerbitate aut irâ. & vt maximè aliud cogitẽ, reuocet me à calidiore incepto ſtata illa mentis tuæ malacia, quã viginti iam annos nullis intercurrentibus vidi deſerenatam. Anteludia hæc ſunt æuiternæ ſerenitatis, beatiſſimæ, feliciſſimæ. & ferè generoſiſſima quæ-

que pectora, inconcuſſa videas: ingruant quamuis tempeſtates& fulgura, ſtant ſede ſuâ rupes. Ac licet ad hanc tranquillitatem naturâ factus, virtus tamen plura adiecit: & quam illa rudem ac impolitam, hæc excultam dedit. Retraho me, ne videar excurrere in laudes. poſſem. ſiue enim generis claritatem, auorum res bello maximas, ſiue inſulæ nobilitatem, ſiue propiùs etiam, virtutes tuas ſingulas momẽtis ſuis ponderem, omnia in Te ad inuidiam exempli. At ego, hæc, & quæcumque adferri hîc poſſunt, lubens volenſque tranſeo, ſilentio magnitudinẽ confeſſus. tantùm me,& hunc, quem manu etiamnum traho, ILLVSTRISSIMO NOMINI

TVO

TVO quis indignetur ſi ſacrauero? Ego illi naturâ, adoptione tu pater eris: & qui in ſinu hoc meo natus, adoleſcet certiore educatoriâ dexterâ tuâ. Quod vt fiat cum æterno publicoque bono, da ô tu ÆTERNE, qui ſolus potes. hoc voueo: meque, Aſcaniumque hunc

ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO

Æternùm dicatum eo

Carolus Scribanius.

SYLLABVS CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De Scripturâ, Traditionibus, Iudice.

CAPVT I.

Scriptura.

Num ad ſolam nudamq́; Scripturam decurrendum in Fidei controuerſiis?

CAPVT II.

Traditio.

An etiam Traditionibus ſtandum in Religionis ac Fidei negotio?

CAPVT III.

Eccleſia.

Controuerſiarum è Scripturâ aut aliunde naſcentium Iudex petendúſne ab Eccleſiâ?

CAPVT IV.

Roma.

An Iudex hic ab aliâ Eccleſiâ petendus, quàm à Romanâ?

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

De Apoſtolicæ Fidei germanis denuntiatoribus.

CAPVT I.

Hæretici non miſſi, non vocati.

Lutherus, Caluinus, Menno, nullius imperio, ſed vltroneâ lubentiâ arrogatâ ſibi Euangelij prædicatione, Apoſtolicæ Fidei Doctores dici non poſſunt.

CAPVT II.

Deſtituti ſignis Apoſtolicæ doctrinę.

Omnibus, quæ fidem facere Apoſtolicæ doctrinæ poſſent, Lutherus, Caluinus, Menno deſtituti, Apoſtolicæ fidei denuntiatores dici non poſſunt.

CAPVT III.

Opinionibus inter ſe contrarij.

Opinionum contrarietate, Apoſtolicæ Fidei præcones, Lutherus, Caluinus, Menno haberi non poſſunt.

Capvt IV.

Mutuò ſe damnantes.

Mutuo damnati Iudicio Apoſtolicæ Fidei propagatores cenſeri non poſſunt.

Capvt V.

Pugnantes Scripturarum interpretes.

Scripturarum pugnantes interpretes Apoſtolicæ Fidei propagatores haberi nõ poſſunt.

Capvt VI.

In Deum blaſphemi.

Blaſphemiæ, quibus Euangelium ſuum Lutherus, Caluinus, Menno, tamquam gemmis variegarunt, non cadunt in Apoſtolicæ Fidei denuntiatores.

Capvt VII.

Fidei ab illis denuntiatę origo & vera cauſſa, faſtus, luxus.

Origines, & ex vero cauſſa Lutherani, Calniniani, Mennoniani Euangelij: è quibus nullo negotio quiuis peruideat, non poſſe huius auctores cenſeri Apoſtolicæ Fidei præcones.

ORTHO-

ORTHODOXÆ FIDEI CONTROVERSA.

LIBER I.

De Scripturâ, Traditionibus, Iudice.

CAPVT I.

Scriptura.

Num ad ſolam nudamq́; Scripturam decurrendum in Fidei controuerſiis?

NOVAM è veteri rem aggredior. nam ſi decurramus per hiſtorias, de prædamnatitiis olim, omnem ætatis noſtræ hæreſin deprehẽdemus: eamq́ue de Apoſtatis VERITATIS, de degenerantibus à maiorum ſemine, non tam innouationis quàm ſceleris tegendi ſtudio, excitatam videbimus. Bis falſarij, moribus & ſtilo. Intueamur propiùs; mentior, ſi non nouitiam & hoſpitam hanc fidem, ſubdolâ viuacitate ſuperſeminatam Euangelico frumẽto, dor-

Digitized by Google

dormientibus ſæculo hoc noſtro multis in ſimplicitate doctrinæ, è veteri excuſſum ſemen auenâ reperiemus. Hinc adulteræ fruges, hinc negatorum paleæ, ex idiotis plurimùm (quæ maior ſemper credentium pars eſt) in incertum ventilatæ, ad Dominicam aream turbandam excuſſæ. Neque poterat ædificare Mendacium ſine VERITATIS demolitione. Hanc itaque ſubruere, vt illud extruerent, neceſſum fuit. Sic ædificat, qui maiorum paraturâ caret. Hic nimirum faſtu pro prioratu excitus, alter vltionis præſumptione percuſſus, tertius carne accenſus, cùm aut eloquio, aut ingenio, aut aſtu poſſent, ad expugnandam, quam in eam diem profeſſi fuerant, conuerſi VERITATEM, de maiorum diſciplinatu abrumpentes, damnatis olim opinionibus vias ſtrauerunt nouas. Fœcunda malorum ætas! cui quantùm lupæ quondam feminę formam quotidie ſuppurare ſolemne, tantùm ſæculo noſtro permiſſum, nouis indies, poſt tot ætatum funera, rediuiuis commentis, ſimplices & ad omnem nouitatem pronas animas fatuare. Neque vllus olim Æſopi graculus è tot furtiuis, quàm hęreſes hodie noſtræ è damnatâ priorum defloratione conſtructæ: vt iam, hic in Valentinianos, Marcionitas, Hebionitas, Neſtorianos; alius in Gnoſticos, Iſauricos, Vigilantianos,

tianos,Eunomianos,Arianos;quin & in Hermogeniſtas, Montaniſtas, Praxeaniſtas, ſubtililoquorum quorumdam fraudulenta improbitas ſauciam fidem deuomat; aut funeſtâ nouitatis prurigine, in omnem fidei lepram exſcabiet: quâ non ignobilem ouilis Chriſti partem malignitatis impetigine venenet. Diſpice quiſquis verum amas. Ille nullâ circuitione virus intimat, fidem nimirum, quæ à ſolo Baccho caleat, à cyathis grandeſcat. hauris? retorpeſcunt ſenſus, incraſceſſit nauſea, tandemque caro ſola exſpuitur. Alius fallaci circuitione venena diffundit. tangeris? animi gelaſcit ſanguis, furitque intus canicula ab illo cynocephalo proritata. Tertius frontem præfert frugi, Catoniano ſupercilio rigidam: at de poſtumo corporis omni ſcorpio verberat acriùs. anathema illidis? excipiet vultu placido, & ad modeſtiam compoſito. audis? plagam ſatiauerit: perîſti, ſi ingeminauerit.

Hæc ſunt ingenia de ſpiritalibus nequitię, cum quibus nobis eſt luctatio, firmandæ fidei neceſſaria: vt electi manifeſtentur, reprobi detegantur. & ideò habent in excogitandis erroribus felicitatem: vt hîc non pericliter cum Tertulliano dicere: *Ipſas quoque Scripturas, ſic ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrarent, cùm legam:* De Præſcr. aduerſus hæret.

Opor-

Oportet hæreſes eſſe; quæ ſine Scripturis eſſe non poſſent. Quid quòd ipſæ etiam mulieres (ne quid ad omnem nouitatem deſit) ſcientiam profiteantur: audent docere, contendere, forſitan & paullo pòſt, Euchariſtiam præbere, & Sacramentorum reliqua, ac Sacerdotalia munera: vt iam apoſtatas noſtros formæ & oculorum obligent petulantiâ, cùm eruditione non poſſint. Nuſquam faciliùs proficitur quàm in femineis caſtris; vbi ipſum eſſe, ſtipendia meruiſſe eſt. Nobilis verbi adminiſtratio de libidinis incentiuo prognata. Agnoſcit hîc hęreſis naturam ſuam: agnoſce & tu Chriſtiane originis illius morem. A feminâ plurimùm profluxit; cùm qui à nobis exierunt, refractis quibus ſe ſtrinxerant continentiæ vinculis, in ſolam carnem inardentes, Scripturarum & Fidei pallio incontinentiæ ſuę voragines texerunt. Quare à quâ profluxit, in eamdem deſinit nouâ prærogatiuâ. vt ſcilicet quæ formæ ſolius proſtitutione ruinâm ædificauerat ſtantium antè ædificiorum; nunc etiam verbo, tamquam mutuo decoris & dictionis lenocinio, potentiùs operetur rediuiua Quintilla, Priſcilla, Maximilla. vt ſub his ducibus non pudeat etiam viros, Hercules ſub Omphale, ſub Dalilâ Sampſones, ceruices flectere, hæreſeſque nouas ex hoc Circeo propinaculo potare.

Aduer-

Aduerſus hæc omnia, in remediis plurima. Sunt qui in fugâ, ſunt qui in audaciâ & feſtinatione, ſunt denique qui in contemptu aut ſtudio tutelam ponunt. Nobis Maiorum Fides præſidium; ſi modò illi fortiter inhæremus: neque ad ſiniſtram flectamus, neque ad dexteram. Norunt hoc illi, quibus nihil intereſt diuerſa opinantibus, dum ad vnius Veritatis expugnationem conſpirent. quare omnibus labor vnus, qualis aliquando Philiſthæorum. Iſraëlem fabris & armorũ opificibus nudarunt, vt cùm deeſſent arma bellorum incentiua, deeſſent & animi bella reparandi: ſic illi Patrum nobis ſcita, ſolidæ tuitionis iacula, validos vindiciarum enſes, quibus in omni arenâ iugulantur, vellent exciſa: & inclamant tritum gladiatoribus, *Non niſi paribus armis.* Hæc arma, SCRIPTVRAM volunt, & SCRIPTVRAM SOLAM. At verò quis nobis illius medullas, ſenſuum abdita, certiùs deſignabit, quàm hi, quos ab Apoſtolicâ manu ſcimus in Europæum, Africanum, Aſiaticum agrum inſertos? Nihil ago. SCRIPTVRA, & illâ pugnandum ſolâ. Quid ſi de illâ ipſâ controuerſia mota fuerit, quis hanc componet? cuius arbitrio faſces ſubmittẽdi? an SCRIPTVRA ipſa, nullâ auxiliariâ manu, ad quæſtionem omnem tollendam, ſat multum aperti roboris, ſat lucis præfert,

vt non ſit opus extraneâ faculâ, quæ nos deducat ad illius abdita, ad alta ſenſuum verorum? aut cuiuſque iudicio, etiam muliebri, Scripturæ interpretatio permittenda? vt ſinguli ſentiant, quod cuique dictat animus, & quod ſenſerint ſequâtur; quod ſecuti fuerint, ex vero ſit, ex Spiritu ſancto ſit, ex Deo ſit. maximè, ſi qui legit, qui audit, ſibi perſuaſerit SCRIPTVRAM claram eſſe, nihil opus ſtudio, nil alio interprete, ipſumque obuium ſenſum à veritate, ab afflatu magni Numinis eſſe.

REDANIVS. Scripturam agnoſcimus Iudicem, nec alium. Hæc quæſtionum omnium diribitrix: quid alienam præfers candelam in hoc Sole? claret omnis illius ſenſus: quid in altâ ſudas indagine? primo obtutu theſauros ſuos retegit; nec opus alio, quàm exertâ manu: ita palàm, & de facili diuiteſcit, quiſquis verum amat.

LIPSIVS. Seriò in omni re tu hoc ſentis? & magnum hoc ſidus in oculis omnium eſſe, nullaque egere alienâ luce? nec aliud exigere, quàm porrectam dexteram, vt illam diuitet locuplete fuſu? Audi Auguſtinum:

Ep. 3. ad Voluſ. *Tanta eſt Chriſtianorum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritiâ vſque ad decrepitam ſenectutem, maximo otio, ſummo ſtudio, meliore inge-*

ingenio conarer addiſcere. tanta & in verbis & in rebus latet altitudo Sapientiæ. Quid de illius porrò vero ſenſu tam infeſtis concurritis armis? quò tot aduerſantium exercituum ductores, non velite aut rorario milite, ſed toto corpore decurrentes? Aut ergo Euangelium ex diuerſitatibus ſtructum eſt æmularum inuicem doctrinarum, imò & contrariarum: aut ſi quis veſtrûm germanum Scripturæ ſenſum attigit, de mendacio ſunt reliqui, qui ſuum ſinguli de Spiritu ſancto vociferantur. nam ab vno Veritatis ſpiritu aduerſantia non denaſcuntur.

Emortuam, nec iam quatriduanam, ſed annis ſepultam mille quingentis, fœdeq; laceram Scripturam, nec aliud quàm oſſa & vagum puluerem oſtentantem, ac reſurrectionem iam deſperantem, eruerat de habitu ſeneſcentis ſepulturæ, ſerius abditorum indagator Lutherus; carnem, ſanguinem, colorem reddiderat, & de tam felici reparatione paſſim gloriabatur, quòd nitori illam, id eſt, Veritati reſtituiſſet. Inuenit quod emendaret poſt Magiſtrũ Caluinus: inuenit quod poſt vtrumque Menno; admouit ergo manum: & Euangelium iniuriâ temporum, Lutheri & Caluini neglectu & ignoratione, in veteri ſopore ſuo ignaueſcens, nouo redanimauit ſpiritu, & indoctâ priorum medico-

rum manu mutilum, ac omni parte iam terreum, deificauit.

Omnis interim hæc opinionum pugna ex Euangelio nata; omnes enim hoc prętexunt, & tamquam ſcutum & vallum opponunt aduerſantium agmini. Cauſſam habes apud Tertullianum: *Nihil autē mirum ſi ex ipſius inſtrumento captentur argumenta, cùm oporteat hæreſes eſſe; quæ eſſe non poſſent, ſi non & perperàm Scripturæ intelligerentur.*

Aduerſus quat.hęreſ.

In tantâ ergo varietate pugnantium inter ſe ſententiarum, tot inter amfractus, quis veram nobis SCRIPTVRARVM mentem, tamquam ſcopum, quæſitamq́ue metam, oſtendet? Nam quòd velint claram illàm eſſe, patere omnibus, fabulæ. Si talis eſt, quid de vero ſenſu gladiantur? quid eliciunt mutuò ſe interficientia? vnde ex pauculis verbis, vno corpore, tot hæreſium capita? vt nullus hîc ſuffecerit Alcidæ labor; renaſcuntur noua, fecundâ malorum geniturâ.

Vnum caput Lutherus; è cuius ceruice, Oſiandrini, Stancariani, Maioriſtæ, Flacciani, Synergiſtæ, Adiaphoriſtæ, Vbiquetarij, Subſtantiarij, Accidentarij, Antinomij.

Vnum caput Caluinus; è cuius radice pullulant Puritani, Caluinopapiſtæ, Baroniſtæ, Familiares, Clancularij, Politici, Cauſarij.

Vnum caput Menno: Cadmæa hîc ſoboles:

les: quis enumeret? ſi quinquaginta cogitas, ſuperant; ſi centum, ſuperant.

O nimiùm fertilis venenorum ętas, quàm fenerario ſurgis fetu! atque hi omnes in primis fidei dogmatibus, immanè diſſident. Omnes tamen Scripturam obtendunt. quis hîc verum eruet? quis SCRIPTVRÆ mẽtem? quis inlatentia ſenſuum lumina, ab omni ambiguitatis obſcuritate detenebrabit? Singuli? veritas vna eſt. Vnus aliquis? cur hic potiſſimùm? Et tamen ſine diribitore pugna hæc poni non poteſt. An expectamus de cęlo docentem Dominum? an noua denuntiantem? At denuntiationis huius quis mihi faciet fidem? An ſatis eſt dixiſſe? Dicunt ſinguli.

Intuere Imperia, Regna, Prouincias, Reſpublicas, priuatorum familias: prouidit ſingulis Deus qui præſideret, qui orituras controuerſias in ſemine, in germine, in flore elideret; aut ſi ad maturitatem, vt ferè maligniſſima quæq; citatiora ſunt, perueniſſent, falce demeterent, & delectis ac ſecretis melioribus, igni traderent. Et ECCLESIAM ſanguinis ſui ſponſam, carnis ſuæ ſororem, liberalitatis ſuæ heredem, Imperij ſui reginam, in ſalutis negotio nudabit Rectore? non aduerſus incredulitatis & peruerſitatis ingenia, prouidentiſſimâ gratiâ ſuâ, armabit Iudice?

 Abſit

Abſit vt dilectam ſuam, ſanctioriſque afflatus ſui cuſtodem, vicarij capitis prærogatiuâ deſtituat.

Hoc autem SCRIPTVRA eſſe non poteſt: cùm illa ipſa, de germano ſenſu ſuo in controuerſiam veniat. Imò ſi hanc tollas, nullæ hæreſes ſint; quę ſine Scripturis eſſe non poſſunt. Hæ namque perperàm intellectæ, & in alium ab origine ſuâ ſenſum diſtortæ, hæreſes ſtatuunt. Ita Diabolus, ad inuertendam VERITATEM, non verba modò, ſed & ipſas etiam res diuinorũ Sacramentorum, ad idolorum miniſteria transfert: expiationem de lauacro repromittit, ſignat ſuos, coronam de ſanguine pollicetur, ſponſione ſolâ diues. Qui ergo Sacramenta Chriſti tam æmulanter affectauit in negotiis idololatriæ; idem, ſuo & ſuorũ ingenio, vtriuſque Inſtrumenti verba, ſenſus, parabolas, æmulę Fidei attemperauit: impari tamen mixturâ, imò & contrariâ, pro ingeniorum varietate temperatâ. nam & ipſe ignem ſuum materię accommodat: quare pro cuiuſque prauâ propenſione ea ſuggerit, quæ ad VERITATIS oppugnationẽ conferunt: quin & mulieres, (de quibus ante Apoſtolum Sophocles: * Γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.) ad docendum prouocat: & Apoſtatas noſtros carne & publico aliquo munere obſtringit ſibi, etiam laicos ſacerdotali munere

*Silentium decus mulierum.

munere exornans. Hoc auctore, hoc impulſore quid ſperemus? quid congrediemur de SCRIPTVRA? exercitatiſſimus SCRIPTVRARVM eſt. Si quid aſtrues, negabit per ſuos; ſi negaueris, defendet. In hoc æquo negandi, aſtruendi, defendendi, oppugnandi gradu quid facias?

REDAN. Quid? dicam à vobis adulteria SCRIPTVRARVM, & expoſitionum mendacia adferri.

LIPS. Eadem ego dicam de vobis. Sed & inter vos non minùs acriter quàm nobiſcum de SCRIPTVRÆ mente decertatis. Nam licet ad vnius VERITATIS oppugnationem fortiter conſpiretis, nec tàm in Ethnicis conuertendis quàm euertendis noſtris adlaboretis: tamen inter vos, de ſummis primiſque Religionis capitibus acriter depugnatis. vt facilè videamus, non poſituros vos arma, niſi partium internecione.

Quid ergo? quid in tam dubiâ re? prouocabimus ad SCRIPTVRAM? Omnis de hac quæſtio eſt. nulla hinc elici victoria poteſt. Lutherus SCRIPTVRARVM veritatem pro ſe ſtare, eamdem clamat pro ſe Caluinus, & Menno pro ſe, proque ſe ſolo, aliamque à prioribus ſuperinducit Euangelij formam. quis ergo decernet? quis ſoluet hunc nodum? An exſpectamus de cælo reuelatoriam defini-

nitionem? aut cùm, vt antè dixi, proſpexerit Deus, dederitque qui naſcituras pro Imperio difficultates tolleret, hîc Principes, alibi Reges; denegauerit Eccleſiæ prærogatiuam hanc in re ſalutis & æternitatis? quaſi in reliquis prouidẽtiſſimę ſollicitudinis, in negotio animæ negle&#x1d;ctiſſimæ ſit curationis. Non cadũt hæc in Deum. prouidit ergo, cùm ſciret orituras, ex ingenio ſæcularis curioſitatis, vanitatis, ſuperbiæ, ſeductionis, circa SCRIPTVRARVM ſenſum difficultates, de capite, Iudice, dirẽptore, Alioqui quid certi in fidei rebus erit? imò, quid non incertum dubiumque, ſi cuiuſque iudicio Scripturarum ſenſus committendus? viri, feminæ, ſenes, pueri, quid non ſinguli ludent & laſciuient in hoc campo? Myſterium olim Theologia erat, & non niſi magnorum ingeniorum circus; nunc populare oblectamentum, & inter fila & colum, muliebre temporiperdium fiet. Vis imaginem huius rei? Nicephori Gregoræ iſta lege: *Apud nos etiam opificibus effuſa ſunt arcana Theologiæ: atq; ita omnes inhiant ratiocinatiunculis & ſermonibus ſyllogiſticis, vt herbæ & paſcuis armenta. Et illi, qui de rectâ fide ambigui ſunt, & qui nec quo modo credendum ſit ſciunt, nec quid ſit illud quod credere ſe dicunt: illi, inquam, & fora, & porticus, & Theatra omnia Theologiâ compleuerunt;*

neque

neque ſolem hunc teſtem facere impudentiæ ſuæ reuerentur. Quomodo autem non ſit abſurdiſſimum, olim quidem cùm floreret Gentilium dogmata, ordinem aliquem fuiſſe; & arcana quæ Delforum Theologis commiſſa erant, nulli alij, vel edicere, vel indagare licuiſſe, ſiue is Plato, ſiue Socrates, aut alius ſapientiâ celebris fuiſſet: apud nos verò, qui purum pietatis myſterium profitemur, ita profanari res diuinas; & omnibus, qui de Theologiâ dicere volunt, id licere ſuopte arbitrio & ſuffragio? Non iures huius temporis Apellem? Et quis finis, ſi ſemel hos SCRIPTVRARVM fontes recludis omnibus? non ſine ductore, ſine pocillatore, turbidam bibent ſinguli? hic de ſubulâ ſutor, de acu ſartor, de furno piſtor, de incude faber, de ouillo & bubulo iugulo lanius, de antennis nauta, &, quod mirere magis, mulier de ſaliuâ & colo, Scripturæ puram elicient? & quidquid eduxerint, pugnantia, aduerſantia, mutuò ſe iugulantia, Scripturæ ſenſus erit? Dixerint veteres, docuerint aliud omni memoriâ Patres, & tot retrò ſeculorum conſenſus in vnum ſenſum conſpirauerit; ſi negat illa anus (de quâ Paulus: *Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe.*) docta legere, ſi aduerſatur hic laniſta, iſte textor, de mendacio omnis maiorum erit ætas. Hæc te arbitrari, nec chi- 1. Cor. 14.

rurgum eueſtigiò aduocare, qui cucurbitas adnectat fronti?

CAPVT II.

Traditio.

An etiam Traditionibus ſtandam in Religionis ac Fidei negotio?

INGREDIOR arenam multorum luctâ nobilem, lateribus concuſſam, fractam cæſtibus, quaſſatam pugnis, ſed iam inde ab exordio ſtratam, vt nulla hîc pugna noua. Et habeo claros in hoc circo Athletas, de TRADITIONIBVS armatos, de Conſuetudine ſuccinctos.

Primus mihi AREOPAGITA; vnus Dauid, qui Goliades tuos Traditionum fundâ proſtratos, non ſcriptis Inſtitutionibus iugulabit. Οἱ πρῶτοι τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας καθηγεμόνες, ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς τὰ ὑπερούσια, τοῖς ἐγγράφοις τε αὐτῶν καὶ ἀγράφοις μυήσεσι, κατὰ τοὺς ἱεροὺς ἡμῖν ἔδοσαν θεσμούς. *Primi illi noſtri Sacerdotalis muneris duces; in iis quæ nobis ſunt familiaria, ſumma illa & superſubſtantialia partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis (iuxta quod Sacræ definiunt Leges) nobis tradiderunt.*

Lib. de Eccleſ. hier. cap. 1.

Non hîc, *non ſcripta?* nec in leuibus tantùm,

tùm, ſed & in ſummis primiſque religionis noſtræ? aut ignorauit Apoſtolicum morem, qui ſub tantis ducibus nobilis Chriſti miles ſtipendia meruerat, æterno fenore remuneranda? an exſpectaret nouos terris Apoſtolos, poſt annos mille quingentos naſcituros, à quibus diſceret, nihil imperandum non ſcriptis inſtitutionibus? aut ſi quid imperatum foret, non ſtandum imperio? hominum commenta eſſe, quidquid extra calamum & chartam ſpargitur. quaſi ſcriptio diuinitatem rebus afflaret, aut nõ parem dignitatem ſortirentur Dei ore prolata, & digito ſcripta. Tu hîc, dic te dignum aliquid: dic Lutherum, Caluinum, Mennonem, Areopagitâ digniores: neſciſſe hunc Apoſtolorum morem, aut aliud docuiſſe quàm acceperat; tuos ſciuiſſe, docuiſſe. Verùm quis hanc tot ſæculis reconditam, etiam ipſi Dionyſio celatam Apoſtolicam mentem, Luthero, Caluino, Mennoni pipiauit in aurem ſecretiorem orbi publicandam? vbi tot ætatibus latuit hic Apoſtolicus ſpiritus? Hæres? Prome aliquid de impudentiæ penu, & præſcinde omnem hanc quæſtionem, Gordium nodum, Alexandri enſe; aut Comicâ licentiâ, dic Areopagitam mentiri.

Accipe limpidiorem etiam lapidem alterum, ex eodem TRADITIONVM torrente, eâdem

eâdem fundâ, tamquam Ieſſæâ manu, in incircumciſam tuorum frontem. Περὶ δὲ τῆς εἰρημένης εὐχῆς, ἣν ὁ ἱεράρχης ἐπεύχεται τῷ κεκοιμημένῳ, τὴν εἰς ἡμᾶς ἐλθοῦσαν ἐκ τῶν ἐνθέων ἡμῶν καθηγεμόνων παράδοσιν, εἰπεῖν ἀναγκαῖον. *Quænam verò de eiuſmodi prece, quam ſuper defuncto peragit Præſul, ex diuinis ducibus noſtris, traditio peruenit ad nos, operæ pretium eſt, vt dicamus.*

Dionyſ. Areopag. l. De Eccl. hier. c. 7. in Græco, in Latino c. 12.

Habes TRADITIONEM & PRO DEFVNCTIS PRECES, quaſi vnâ circumductione Philiſthæos tuos & omnem inimicam fundat aciem.

Secundus IRENÆVS; vnus Ionathas qui Nicanores tuos, qui ſternat Bacchides. *Quid enim etſi de aliquâ modicâ quæſtione diſceptatio eſſet, nónne oportebat in antiquiſsimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere, quod certum eſt, & re liquidum eſt? Quid autem ſi neque Apoſtoli Scripturas quidem tradidiſſent, nónne oportebat ordinem ſequi* TRADITIONIS.

Iren. l. 3. c. 4.

Diſceptatione ſubortâ, decurrendum, ait, ad Eccleſias ætate & Apoſtolicâ dignatione primas, ad APOSTOLICAS TRADITIONES. Si quæras, *Vbi hæc ſcripta?* reſpondebit Irenæus, non eſſe omnia ſcripta: multa de manu tradita, quibus ſit inſiſtendũ. At tu nihil vis, niſi ſcri-

ſcriptum. credo nec duas aures, os vnum, quia nihil de tuis illis ſcriptum.

Tertius TERTVLLIANVS. hîc, ſi vllus adhuc pudor abditus fibris, erubeſce. *Quamdiu per hanc lineam ſerram reciprocabimus, habentes obſeruationem inueteratā, quæ præueniendo ſtatum fecit? hanc ſi nulla Scriptura determinauit, certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de* TRADITIONE *manauit. Etiam in Traditionis obtentu exigenda eſt, inquis, auctoritas ſcripta. Ergo quæramus an &* TRADITIO NON SCRIPTA *non debeat recipi. Planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præiudicent aliarū obſeruationum, quas ſine vllius Scripturæ inſtrumento ſolius* TRADITIONIS *titulo, exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Denique, vt à Baptiſmate ingrediar;* Tertul. De coron. mil. c. 3. & 4.

Aquam adituri, ibidē, ſed & aliquanto priùs in Eccleſiâ ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renūtiare diabolo, & pōpæ, & Angelis eius.

Dehinc ter immergitamur, ampliùs aliquid reſpondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit.

Inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus.

Ex eâ die, lauacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus.

Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatū à Domino, etiam ante-

antelucanis cœtibus, nec de aliorũ manu quàm præſidentium ſumimus.

Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annuâ die facimus.

Die Dominico ieiunium nefas ducimus.

Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacumque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.

Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtulas Scripturarum, nullam inuenies. TRADITIO *tibi prætenditur auctrix, Conſuetudo cõfirmatrix, & Fides obſeruatrix. Rationem* TRADITIONI, *Conſuetudini, Fidei patrocinaturam aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit diſces. Hic igitur exemplis renuntiatum erit, poſſe etiam* NON SCRIPTAM TRADITIONEM *in obſeruatione defendi, confirmatam Cõſuetudine, & idoneâ teſte probatæ tunc Traditionis ex perſeuerantiâ obſeruationis. Conſuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex. nec differt, Scripturâ an ratione conſiſtat, quando & legem ratio commendat. Porrò ſi lex ratione conſtat, lex erit omne iam quod ratione conſtiterit, à quocumque productum.* Hæc Tertullianus. Potuit ad propoſitam quæſtionem certiùs? Si concedis, ſublata controuerſia eſt: ſi negas, negatio-

negationis cauſſam adfer. nec mihi ſemper SCRIPTVRAS obtendas, ratione vacuus. Edic proinde negatę TRADITIONIS cauſſam, etiam obſeruationis ſuo ſe nomine vindicantis, & conſenſus patrocinio ſecuræ. Tertullianus etiam *non ſcriptā* TRADITIONEM, *conſuetudine confirmatam*, tuetur: tu omnem reiicis, vt Deo, vt SCRIPTVRÆ aduerſantem. Ille crucis ſignacula frequentata, oblationes pro defunctis, annuaſque natalitias agnoſcit oblationes, TRADITIONIBVS roboratas, ęternumque valituras: tu tuique etiam ridetis. Ille idoneum TRADITIONIS teſtē obſeruationis ſtatuit perſeuerantiam: vos teſtem omnem eliditis vt inualidum. Cui vis aſſentiar, Tertulliano, an tuis? Audiam hîc aliquid hodie potiſſimùm ex te. Vis Luthero, Caluino, Mennoni TRADITIONEM omnē quacumque conſuetudine firmatam repellētibus, vt elumbem, vt fidei aduerſariam, vt inimicam SCRIPTVRIS, vt alienam ab Apoſtolicâ mente; an Tertulliano aſſentiar, TRADITIONEM aſtruenti, obſeruationis perſeuerantiâ inueteratam, ac ſine vllius SCRIPTVRÆ inſtrumento valituram: ſatiſque illi ad robur eſſe, ſi ſolius ſe conſuetudinis patrocinio tueatur? Perfrica frontem: dic tuos Tertulliano maiores, litteratiores: & qui propiùs Apoſtolorum ſenſum expreſſerint, SCRIPTVRARVM men-

mentem attigerint. Et verò niſi omnem exuiſti hominem, in Tertulliano de ætate vincimus, de eruditione vincimus, de Apoſtolicâ vicinitate vincimus. Potuit ſcire, potuit certiùs, quid Apoſtoli ſcripto, quid non ſcripto tradidiſſent; & an omnino nihil verbo ſolo, Eccleſiis à ſe inſtitutis demandaſſent: potuit hæc cognoſcere ab Apoſtolorum diſcipulis, potuit ab horum ſucceſſoribus. vos poſt mille quingentos annos à quibus? quis Luthero, Caluino, Mennoni reuelauit, nihil Chriſtum Apoſtolis, nihil hos diſcipulis auditoribus ſuis verbo imperaſſe, & verbo ſolo? O ſemper te tui ſimilem! Areopagita, qui Domini mentem ſuxerat à Paulo; Irenæus, qui ab Apoſtolorum diſcipulis; Tertullianus, qui ab eiſdem, aut ſucceſſoribus primis Apoſtolorum, conſuetudinem ignorarunt, errauerunt, qui TRADITIONES non ſcriptas defendendas ſuſceperunt. Lutherus, Caluinus, Menno poſt annos 1500. certiùs aliquid de mulierculæ ſinu, de maſculo theatro, de promiſcuæ libidinis loco ſuxerũt: & iam impudicitiæ muſto pleni, Apoſtolicam mentem Orbi denunciarunt. Hæc aut tu arbitraris, aut quemquam voles credere integro capite? Sepone quæ te aliorſum trahunt, & à VERITATIS cognitione abducunt, rem ex vero penſa. niſi tuos, niſi

te

te, tuapte ſententiâ damnes, nullus ſum.

Quartus BASILIVS: magnum nomen, res maior: audi tonantem: Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως, διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα. ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς τὴν εὐσέβειαν· καὶ τούτοις οὐδεὶς ἀντερεῖ, ὅς τις γε κἂν κατὰ μικρὸν γοῦν θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν πεπείραται. εἰ γὰρ ἐπιχειρήσαιμεν τὰ ἄγραφα τῶν ἐθῶν ὡς οὐ μεγάλην ἔχοντα τὴν δύναμιν παραιτεῖσθαι, λάθοιμεν ἂν εἰς αὐτὰ τὰ καίρια ζημιοῦντες τὸ εὐαγγέλιον. μᾶλλον δὲ εἰς ὄνομα ψιλὸν περιϊστῶντες τὸ κήρυγμα. *Dogmata quæ in Eccleſiâ prædicantur, quædam habemus è doctrinâ prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum* TRADITIONE *in myſterio, hoc eſt, in occulto tradita recipimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſanè vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint iura Eccleſiaſtica. Nã ſi Cõſuetudines quæ ſcripto proditæ non ſunt, tamquam haud multum habentes momenti, conemur reiicere; imprudenter & ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur. imò potiùs ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* Baſil. lib. de Spir. ſancto c. 27.

Tolle TRADITIONEM; ad nudum, ex Baſilio, nomen, fidem contrahis: erit ergo fides

veſtra corporis ſui nuda: vt quæ traditionibus ſpoliata, ſolo fidei nomine glorietur; tãquam ſi quis hederâ ſuperbiat, vino vacuus. Magni præcones nobilis Euangelij, quod ſolo nomine ſuos beat! Menſam ſi quis famelico, ſed menſam ſolam, poculum ſi ſitienti, ſed nudum poculum, crumenam ſi egenti, ſed crumenam tantùm, nec largiatur aliud, non audiat ſycophanta? Quid ille, qui Euangelij nudum nomen? qui ad ſalutem gradientem verbis ſolatur inanibus: in quibus nec medullà rei nec ſpei adeps vllus? Quod erit præmium huic præſtigiatori, quæ corolla capiti? nõ pro meritis decorauero, ſi verba dedero, & verba tantùm? vendit ille verba, & verba nuda; pretium accipiat verba, & verba nuda.

Quintus CHRYSOSTOMVS verus indagator Paullinæ mentis, aureum os, flumen aureum, ſuper hæc verba: *State & tenete Traditiones.* Εντεῦθεν δῆλον ὅτι οὐ πάντα δι' ἐπιστολῆς παρεδίδοσαν, ἀλλὰ πολλὰ καὶ ἀγράφως. ὁμοίως δὲ κἀκεῖνα καὶ ταῦτα ἐστὶν ἀξιόπιστα. ὥστε καὶ τὴν παράδοσιν τῆς ἐκκλησίας ἀξιόπιστον ἡγώμεθα. παράδοσίς ἐστι, μηδὲν πλέον ζήτει. *Hinc patet, quòd non omnia per epiſtolã tradiderint, ſed multa etiã ſine litteris. Eadem verò fide digna ſunt, tam illa, quàm iſta. Itaque* TRADITIONEM *quoque Eccleſiæ fide dignam putamus.* TRADITIO *eſt; nihil quæras amplius.*

Chryſoſt. Homil. 4. in c. 2. Ep. 2 ad Theſſal.

Multa

Multa ergo Apoſtoli *ſine litteris tradiderunt*. vos ſolam litterã vultis. Nihil detraho: litteram concedo vobis, & litteram ſolam. *Eadem fide digna ſunt ſcripta & tradita tantùm*. Quid dices? damnabis Chryſoſtomum? à quo Spiritu? non à Paulli, neque ille clientem ſuum damnabit. & fuit Chryſoſtomi ſpiritus, Apoſtoli ſpiritus, Chriſti ſpiritus, Dei ſpiritus. Veſter ergo nec Apoſtoli, nec Chriſti, nec Dei ſpiritus eſt; neque enim idem ſpiritus ſeipſum damnat.

Sextus AVGVSTINVS, valens ſemper VERITATIS aſſertor, ſiue à Gentilitio errore, ſiue ab hæreticorum vindicanda foret mendacio. *Eccleſiaſticarum inſtitutionũ quaſdam in Scripturis, quaſdam verò Apoſtolicâ* TRADITIONE *per ſucceſſiones in miniſterio confirmatas accepimus, quaſdam verò Conſuetudine roboratas vſus approbauit. quibus par ritus, & idem vtriuſque pietatis debetur affectus. Sin autem attẽtauerimus, Conſuetudines Eccleſiæ, non per Scripturas à Patribus traditas, nihil æſtimare; quantum religio detrimẽti ſit latura, intentè inſpicientibus liquidò conſtabit.* Lib. ex dictis Baſil. De Sp. S. cap. 27. habetur d. 11. cap. Eccl.

En tibi Apoſtolicas TRADITIONES non ſcriptas: tu vis ſcriptas. en CONSVETVDINES vſu roboratas: tu nihil admittis nõ ſcriptum. Fors & matrem feminam negabis, patrem virum, te hominem, quia nuſquam hæc ſcri-

pta. Cape aliud ab eâdem manu. *In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt.* Sunt ergo quędam, *in quibus nihil certi ſtatuit Scriptura.* tu vis nulla eſſe. vis omnia certò in Scripturâ ſtatuta. etiam togá & pallium, quo amiciris? etiam vinum, quo diſtenderis? etiam flagra, quibus dilaniaberis? an & faſcias, & pultes, & nutricis mammas?

Epiphan. Serm. 61. contra Apoſtolicos.

Septimus EPIPHANIVS. Habes ex Hebręâ pharetrâ lacertoſum telum: Δεῖ δὲ καὶ παραδόσει κεχρῆσθαι. οὐ γὰρ πάντα ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς δύναται λαμβάνεσθαι. διὸ τὰ μὲν, ἐν γραφαῖς, τὰ δὲ ἐν παραδόσει παρέδοκαν οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι. ὥς φησιν ὁ ἅγιος ἀπόστολος, Ὡς παρέδωκα ὑμῖν. καὶ ἄλλοτε: Οὕτως διδάσκω, καὶ οὕτως παρέδωκα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. *Oportet autem &* TRADITIONE *vti. non enim omnia à diuinâ Scripturâ accipi poſſunt. quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in* TRADITIONE *Apoſtoli tradiderũt. quemadmodum dicit S. Apoſtolus: Sicut* TRADIDI *vobis. & alibi: Sic doceo, & ſic* TRADIDI *in Eccleſiis*

Potuit validiùs? potuit clariùs? *Non omnia à diuinâ Scriptuâ accipi poſſunt.* vos vultis omnia poſſe. O vos Aquilæ! ô noctuam Epiphanium! *Apoſtoli aliqua in* TRADITIONE *tradiderũt.* vos negatis? Apoſtoli verba ſunt,

Sicut

Sicut TRADIDI *vobis*. reſtituite hunc locum ex veteri membranâ: *Sicut* SCRIPSI *vobis*. quid enim inauſum vobis poſt Euangelium nouū? quæ nō calcata via ignoto maioribus veſtigio? quis non locus veſtitus nouitiâ paraturâ? pergite. hæc ſemita ducit ad Euangelium Quintum; nouū, verè nouum, omnibus retrò ſęculis inauditum.

Octauus LEO Magnus. verè magnus, eruditione magnus: ac rerum etiam geſtarum gloriâ maior. *Dubitandum non eſt, quidquid in Eccleſiâ in conſuetudinem eſt deuotionis retentum, de* TRADITIONE *Apoſtolicâ, & de ſancti Spiritus prodire doctrinâ.* Serm. De ieiunio Pētecoſtes.

Non dubitat Leo. tu dubitas. Erro: fortiter aſſeris, nihil vſpiam de TRADITIONE Apoſtolicâ eſſe; aut hoc ipſum quod eſt, nihil eſſe: quia non ſcriptum ſit. O quamdiu tu mihi: *Non eſt ſcriptum*, &c, vbi ſcriptum, Patris te tui, & non bubali eſſe filium?

Aut quando aliquando occines aliud prętor illud tritum: *Vbi ſcriptum eſt?* Audi Apoſtolum: *Itaque fratres ſtate: ac tenete* TRADITIONES, *quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.* Alias ergo illis TRADITIONES verbo, alias ſcripto dedit. & quo iure imperat Apoſtolus TRADITIONES non ſcriptas? Exurgat aliquis de prudentiâ noui Apoſtolatus, & dicat, *Vbi ſcriptum eſt?* 2.Theſſ.2.

& Euangelium ſuum Lucas quibus ſcribentibus didicit? *Sicut* TRADIDERVNT *nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis*. Tradidit ergo Lucas non ſcripta. tradiderunt reliqui, ſcripſeruntque non ſcripta. Nam ſi omnia ſcripta eſſe voles, quis finis quæſtionum? ad vnum aliquem dicentem, narrantem, facientem, videntem, deueniendum erit. Iam ille ſcriptor primus, quid ſcribit ab aliis accepta? Reſpondeat Ioannes:
Ioan. 3. *Quod vidimus, teſtamur*. At tu pergas: *Vbi ſcripta ſunt?* & vbi ſcriptum eſt Matthæi Euangelium Matthæi eſſe? vbi Lucæ, vbi Marci, vbi Ioannis? nam ſi quis de ſe dicat eſſe ſuũ; vbi ſcriptum eſt ab illo hæc verba prolata? verba video, lego: ſcribentem Euangeliſtam non video. quis mihi ſcriptorem illum denuntiabit? tu illum aſſeris: negat alius. quis vos dirimet? Scriptura? De ipsâ Scripturâ quæro. Quid palles? At Scriptura eſt. & hoc quæro. quo indice? Aut ergo Scriptura non eſt, quia deeſt illi illud veſtrum, *Scriptum eſt*: aut decurrendũ ad TRADITIONES, ad Maiorum conſpirantem de Scripturâ ſenſum.

Lucæ 1.

Ioan. 21. Et heus, vbi ſcripta ſunt illa; *Sunt autem & alia multa, quæ fecit* IESVS: *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*. Ergo quia ſcripta non ſunt, facta nõ ſunt? aut quia nemo

nemo ſcripſit, de mendacio ſunt? & tamen, ſi omnis Chriſti actio noſtra ſit inſtitutio, quantæ inſtitutiones perierũt, cùm tot actiones perierunt? & ſi verum; *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius.* 1. Pet. 2. quanta imitatio ſublata eſt, cùm tot veſtigia ſilentio, tamquam arenâ, preſſa iaceant? aut quia paſſionis pleraque nemo retexit, numquam retrò fuerũt? Iam quanta facta ſunt etiam in exemplum, quæ ætate ipsâ obſoleuerunt? *Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus & Magiſter veſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes: exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Ioan. 13. & tamen quis inter vos alterius lauat pedes? Vis Apoſtolum? *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* 1. Cor. 8. Quis veſtrûm, ne ſcandalizet fratrem, vetitis ab Eccleſiâ diebus ieiunium ſibi indicit? quis carni fibulam figit? Agnoſco tam multiuorantiam quàm multibibentiam, animalem fidem veſtram, nuſquam gulæ, vt & nuſquam libidini frenos indicentem; nuſquam delictum maceratione expiantem; nuſquam ſalutem æmulâ redaccendentem ediâ, quam ſagina extinxerat. Idem Apoſtolus: *Dico autem non nuptis & viduis, Bonum eſt illis ſic permanere, ſicut &* 1. Cor. 7.

ego. &: *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem.* & : *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* ac tandem : *Qui non iungit* Matrimonio virginem ſuam, *melius facit.*

1.Cor.7. REDAN. At, *melius eſt nubere quàm vri.*

LIPS. Quotquot ergo apud vos nubunt, vruntur. Nam quis deterius elegit, cùm poſſit melius? melius eſt, non nubere. At vos:

Lutherus. *Creſcite & multiplicamini, & replete terram: non eſt hoc præceptũ, ſed pluſquam præceptum, quod nos non poſſumus impedire, vel prætermittere: ſed perinde neceſſarium eſt, quàm edere, bibere, ludere, exſpuere, purgare, euigilare. Et ſicut in meâ manu non eſt, quo minùs ſim mas; ita minimè ſitum eſt in me, vt ſim ſine muliere.* Vbi hoc *ſcriptum eſt*? eſſe *pluſquam præceptum*? vbi, *non poſſe nos prætermittere*? vbi, *non eſſe in manu meâ vt ſim ſine muliere*? vbi, *perinde neceſſarium ac edere & bibere*? vbi hoc, vbi *ſcriptum eſt*? Quid dicis Apoſtole, miſericordiam à Domino conſecute? quid dicis de hoc omnis impudicitię funambulo? Maior nimirum Apoſtolus ſurrexit, qui caſtitatem elimaret, qui libidini non iam valuas reſeraret, ſed neceſſitatem adnecteret, vt erubeſcentiam tolleret, ac reſolutis conti-

nentiæ

nentiæ cataractis propudioſa flumina reſeraret, nullo timoris gehēnæ, nullo diuini amoris, nullo ſperatæ laureolæ repercuſſo repagulo. vna namque neceſſitas, vna euitandi impoſſibilitas excludit reliqua. Si enim neceſſum illi gurgiti manum tradere, ſi corpus erogare; quid dicam de Apoſtolo, omnis caſtimoniæ ex ſemetipſo magiſtro? dicam illum à permiſsâ matrimonij fruge ieiunaſſe? negat Lutherus poſſe. Ergo mentitur ille Apoſtolus, aut Euangeliſta hic nouus. De illo teſtimonium habemus Domini: *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël* Huius nil aliud agnouimus, quàm in excogitandis, inſtruendiſque erroribus felicitatem, de ingenio ſpiritalis nequitiæ doctam. qui loquacitatem facundiam, impudentiam conſtantiam deputat. qui maledicere Principibus, qui in illos armare ruſticam manum, officium iudicat bonæ conſcientiæ, dignumque Euangelio ſuo. qui, quoties coniux abnuit, ancillæ nubit: ter adulter, voti, carnis, prædicationis: cui denique pro ratione voluntas: huic ego auſcultem, & non potiori iure, Maiorum acquieſcam TRADITIONI, rationi & diuinæ voluntati innixæ? Act. 9.

REDAN. At illi Maiores tui non homines fuerunt? falli poterant, errare, memoriâ

labi , & quæ nimiùm creduli acceperant, tranſmittere in poſteros.

Lips. Vt video, Lutherus, Caluinus, Menno, cùm falli non poſſint, memoriâ labi, certi de ſalute, homines non ſunt. Dij erunt igitur: Dij maiorum & minorum gentium: aut vetiti pomi & arboris Dij: Dij ſuaſorij: Dij Euales: aut his reuelata Veritas; maioremque dignationem à paradiſi incentore conſecuti de doctrinis venenorum. Nam à vero Deo quis credat, in tantâ blaſphemi oris proluuie? Audi illā nec inferno quidem notam: *Ad cælum tantum prorſus iuris habemus, quantum Chriſtus ipſe; nec poſſumus damnari, niſi Chriſtus damnetur, nec Chriſtus ſaluari, niſi nos ſaluemur.* Non hoc eſt pariari Deo? os blaſphemum! ergo ſi damnatur Caluinus, ſi addicitur ignibus ſemper vrentibus, ſemper durantibus; neceſſum eſt iiſdem adiudicari Deum. At à quo adiudicabitur Deus? ab inferiore non poteſt. erit ergo alius Deo iam maior, cuius ſententiam Deus Caluini expectet in interitum, ne incomitatus eat Caluinus.

Caluino-turciſm. l. 3. c. 12.

Redan. Quidquid eſt demum, homines fuerunt.

Lips. Planè. & Apoſtoli homines. Vos qui? Angeli ſeductionis?

Redan. Verùm iam dixi, errare poterāt.

Lips.

Lips. Quouſque hæc ſparſilia, Apoſtolicas diſciplinas & Traditiones effeminantia? quantis, quamq́ue veris vos poſſem repercutere? Scripturarũ expoſitiones per vim retortas, & in cuiuſque affectũm prauum deflexas retegere? in quibus cùm orbe toto diſſideant ductores veſtri; omnino neceſſum, falli aut omnes, aut illorum pleroſque, cùm vnius rei vna tantùm ſit veritas: nam omnes in tantâ opinionum diuerſitate Scripturæ ſenſum attigiſſe, nemo prudens cogitet.

Capvt III.

Eccleſia.

Controuerſiarum è Scripturâ aut aliunde naſcentium Iudex petendúſne ab Eccleſiâ?

A Qvo, ſi non ab Ecclesia? à quâ olim religionis fideiq́ue noſtræ lumina petẽdum arbitrati ſunt. Audiamus Irenæum: *Tantæ igitur* Iren.l.3. *oſtenſiones cùm ſint hæ, nõ oportet adhuc quæ-* c. 4. *rere apud alios veritatem, quam facile eſt ab* Ecclesia *ſumere, cùm Apoſtoli quaſi in depoſitorium diues, pleniſſimè in eam contulerint omnia, quæ ſunt veritatis; vt omnis, quicumq; velit, ſumat ex eâ potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures ſunt & la-*

Digitized by Google

& latrones propter quod oportet quidem deuitare illos: quæ autem ſunt ECCLESIÆ,*cum magnâ diligentiâ diligere,& apprehendere veritatis traditionem.*

VERITATEM, aït, ab ECCLESIA ſumendam. SCRIPTVRARVM nimirum verum ſenſum, in quo certiſſima, fallique neſcia VERITAS: quòd Apoſtoli apud illam pleniſſimè ſepoſuerint, quęcumque ad illius explanationem faciunt. Nihil ergo deſiderabis VERITATIS egenus, quod non reperies in diuite illo Apoſtolico repertorio: nihil, illius bibendi auidus, quod non expleat quantũuis aridam, addo & curioſam ſitim, etiam de prudentiâ ſęculi venientem. Langues, & areſcentibus iam labris, linguâ, faucibus, quæris quo vitam repares, aut fugientem retrahas? hîc vita eſt: quidquid extra hanc eſt, mors eſt. ſi paulùm ab illius ingreſſu deflexeris, latrones & fures, nec aliud reperies quàm iugulo inſidiantes. Redi ad ECCLESIAM, licet vulneribus ſaucius: certa hîc omni ęgrienti medela eſt. Alium ſenſum à VERITATIS mente, peregrinâ & inimicâ porrectum manu hauſiſti? nil vereare: certum hîc omnem deuomendi malignitatem prouocatoriũ eſt. Fefellit aliquis incautum, & ſub fauo & melle, ſub roſâ & violâ venena ſparſit, propinauit? bibiſti nouarum auidus? ne metue: medica-

dicamina hîc ſunt,omni veneno potentiora, VERITATIS manu temperata. Minatur alius; & qui docere debuerat,arma pręfert & ſclopum ;& priùs hæc quàm doctam manum? ride, omni ſclopo imperuium eſt VERITATIS vallum. ECCLESIA,hoc eſt,validum propugnaculum, quo tecta VERITAS excutit mendacia, non niſi in Dominorum ceruicem reditura. Quæcumque ergo ſunt ECCLESIÆ,ex Irenæi mēte,delige,ſerua. VERITATIS omnis TRADITIO hîc eſt. & à quibus hîc eſt, ſi non ab Apoſtolis? qui omnem ſenſum Domini, omnia Scripturarum abdita, apud fidum hunc cuſtodem depoſuerunt. Tu eges, aut quicumque alius? hîc habes, in hoc Apoſtolico horreo, Apoſtolicâ penu, Apoſtolico armamentario,omne frumētum agri Dominici, omne vinum torcularis & vineæ Dominicæ, omnia arma ab incude Dominicâ, mendacia expugnantia: fruere. Alibi ſi quæras,erras: nec aliud ſperare debes extra hos limites, extra hanc aciem, Apoſtolicis manibus inſtructam, extra hūc hortum Apoſtolicâ manu conſitum, quàm fures & latrones. Hos ſi amas, ſequere erroneos ductores, nec aliud quàm ſanguini, quàm vitæ inſidiantes. Verum amas? ſalutem amas? fuge hos mendacij adminiſtros ex monitu magni Irenæi.

Nec

Auguſt. ad Creſcent. c.33.

Nec minùs ex Auguſtini ſententiâ: *Quamuis certũ è Scripturis nõ proferatur exemplum, tamen earumdem* SCRIPTVRARVM *à nobis tenetur* VERITAS, *cùm id facimus, quod vniuerſæ placet* ECCLESIÆ, *quam ipſarum* SCRIPTVRARVM *cõmendat auctoritas: vt quoniam ſancta Scriptura fallere nõ poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis*, ECCLESIAM *de illâ conſulat, quam ſine vllâ ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat.*

Quæſtionum ergo in Fidei rebus obſcuritas eſt, etiã in Scripturâ? quis hanc denubilabit? ECCLESIA. At tibi tenebrę ibi nullę ſunt, nullæ Luthero, Caluino, Mennoni. Singuli namq; Solẽ ibi vident, ſed Solẽ ſinguli alium. Ego Solem putabam vnum, cælum vnũ, orbem vnũ, Deum vnũ; plures ſecundo hoc ſęculo reperio. Nã qui Luthero luxit in SCRIPTVRA Euangelicus Sol, alius eſt à Caluini Sole; qui Mennoni, alius eſt ab vtriuſq; Sole. nam quę Luthero clara certaque ſunt Sole ſuo, tenebræ Caluino ſunt Sole ſuo; & quę Caluino dies ſunt Sole ſuo, Luthero noctes ſunt Sole ſuo, quę Mennoni ſidera ſunt & alta luminaria Sole ſuo, Luthero Caluinoque talpæ ſunt, & cæca repertoria. O Soles non Soles! O dies, denſæ noctes! rem vnam eamdemque Solem vni, tenebras alteri! diem vni, noctem alteri! lumen vni, craſ-

ſam

ſam alteri caliginem, ſpiſſamque nebulam!

Verùm pergo in Auguſtino: *Ego vero Euangelio non crederem, niſi me* ECCLESIÆ CATHOLICÆ *commoueret auctoritas.* Aug.tom.6 cont. Epiſt. Manich. c.5.

Non credit Auguſtinus Euangelio, niſi de ECCLESIÆ manu acceperit. Nam à cuius acciperet? aut cui affirmanti crederet Euangelium eſſe, ni ECCLESIA Euangelium eſſe denuntiaret? exſpectaret de cælo Chriſtum iterùm naſciturum, crucifigendũ, moriturum, reſurgendum? exſpectaret nouam nouorum Apoſtolorum electionem? ſic enim ſolet nouum Euangelium facere. an præſaga captaret ſomnia prophetica, reuelatoria, quibus ſecurus de Euangelio vero fieret? an raptum in tertium cælum, in quo arcana nulli reuelanda diſceret? an denique priuato cuidam affirmanti Euangelium eſſe crederet? ergo aut ſomniis crederet ſæpè fruſtratoriis, aut raptum exſpectaret non rarò ludibrioſum; aut fidem daret priuato denuntiatori plurimùm fallaci. Prouidentiori Auguſtinus & altiori mente eſt, quàm vt his fundamentis ſalutem ſuam, quæ ab Euangelio tota pendet, inædificaret. Ergo non accipit Euangeliũ niſi ab ECCLESIÆ dexterâ, quæ falli neſciat; quam firmauit Dominus contra fallaciæ ſpiritus, armauit contra inferni ciues, & poteſtates tenebrarum. ab illius dexterâ,

certus

certus de denuntiatione Euangelium accipit, cui ſalutem ſuam credat. Videant Lutherus, Caluinus, Menno, à quo Euangelium acceperint: nos cum diuo Auguſtino ab ECCLESIA accepimus. illi ab eâdem accipere non poſſunt: neque quiſquam ab aduerſariis caſtris conſilia mutuatur. ECCLESIAM illi, à quâ nos accepimus, auerſantur vt inimicam: aliam verò à noſtrâ, à quâ Lutherus, Caluinus, Menno acceperunt, numquam oſtendent. Niſi è Lutheranâ Caluinus acceperit, è Lutheranâ & Caluinianâ Menno deſumpſerit: at neque Lutheranam Caluinus agnoſcit, neque vtramque Menno. A quâ ergo ECCLESIA Lutherus, Caluinus, Menno, Euangelium acceperunt, ſi non à noſtrâ? Fors Lutherũ voles accepiſſe ab illo Spiritu, cum quo modium ſalis comediſſe ſe gloriatur? Caluinum à theatro Maſculo? Mennonem non ab vnâ Philumene, ſed ne Euangelium ſterileſceret, à pluribus? quo nimirũ molliùs inambularet de carne in carnẽ, carneũq; ſuis à femineo macello Euangelium demãdaret.

Aug. cõtra Manich. diſt. 11. cap. Palã. Finio in Auguſtino: *Palam eſt, quòd in re dubiâ ad fidem valet auctoritas* ECCLESIÆ CATHOLICÆ, *ab ipſis fundatis Apoſtolorum ſedibus, vſque in hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmata.*

Cuius

Cuius valeret in re dubiâ auctoritas,ſi non ECCLESIÆ? cuius? Lutheri? Caluini? Mennonis? ſed neque Lutherus, Caluinus,Menno ſemper. & ante hos nouos Orbi Apoſtolos,cuius valeret? An ante illos nulla in fidei rebus exorta dubitatio? ſi non vna fuit, nec leuis diſceptatio; cuius auctoritas tot ſæculis valuit? cuius? Deſtitutum tot ætatibus genus humanum auctoritate, quæ decideret,quidquid occurriſſet dubiæ rei,aut credi prudenter, aut dici verecundè poteſt?

Verùm veniamus ad Lutheri, Caluini, Mennonis tempora. cui ex his decidendi res dubias auctoritas conceſſa? & à quo cõceſſa? à Domino? quî probant? & omnibus conceſſa, an vni? Omnibus non poteſt: vnius namque rei non niſi deciſor vnus, ſi à VERITATE deciſio hæc naſci debet. vt enim VERITAS vna eſt, ita pugnantes reſpuit deciſiones,pugnantes deciſores. Si dixeris, vni conceſſam; cui? Luthero? negat Caluinus. Caluino? negat Menno. Mennoni? negant priores. Et vt illis aliquid conceſſum; diſpunctis iam ab hac vitâ, cui conceſſa hæc auctoritas? è ſingulis his magiſtris primis prodierunt diſcipuli nouarum opinationum, in ſummis Fidei rebus auctores noui, mutuò ſe damnantes: quibus nunc ex his, aut cui auctoritas conceſſa? Nulla cauſſa eſt cur vni potiùs

quàm alteri: omnibus non poteſt. cui ergo?

Redan. Nil opus deciſore in hac Euangelij luce, nec ductore opus in meridie.

Lips. Non tu hîc, tuique elleboro purgandi? Si tantum lumen, quid pugnant inter ſe tui de Euangelij luce? quid mutuò obiectãt tenebras? Hic Euangelij mentem clamat ſe aſſecutum: alius hunc negat quidquam vidiſſe. Lutherani Caluinianis, reliquiſque; hi Lutheranis denſam obiiciunt noctẽ. ſinguli lumen hoc ore & calamo præferunt, ſingulos reliqui damnant tamquam cæcos natos. Hanc ergo lucem quis vidit? aut in cuius cerebro luxit hæc Acherontica facula vni vni videnda? Lucernas noui furaces, quæ ſoli domino ſuo lumen præbent. Has ergo credo luxiſſe ſingulis, ab illius fomite ſuccenſas, qui fures facit, qui ſub ouillâ pelle lupos rapaces, ad infeſtandũ Chriſti gregem, ſub ſolâ Chriſtiani nominis ſuperficie deliteſcentes.

Non ero prolixior in tantâ luce. quæ cùm nec omnibus nec ſingulis præluxerit, & alicui tamen prçluxiſſe neceſſum ſit, à quo ſubdolâ quorumdam fraude aut rerum ignoratione à vero aberrantes in viam reducerẽtur; nulli lumen hoc concedi tutiùs, nulli cõmitti certiùs potuit, quàm Ecclesiæ. è cuius manu, natiuo calore & colore ſuo plenum, nullo ſtibio purpuriſſatum acceperimus.

Capvt

CAPVT IV.

Roma.

An Iudex hic ab aliâ Eccleſiâ petendus, quàm à Romanâ?

NON ab illâ, cui præſidet Lutherus, Caluinus, Menno. tot ſæcula nec capillum quidem horum norant: ſine Præſide ergo tot ſæcula ſteterunt. Hoc ſi non cadit in Deum, & Deum bonum, aliquem ſtatuamus neceſſum eſt. hunc aliquem in quâ ECCLESIA reperiemus, ſi non in ſtatus prærogatiuâ, & infractæ perennitatis nobili, cui præſidet Romanus Pontifex? Audiamus Patres Eccleſiæ Principes, videamus quid ſenſerint.

Maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus agnitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo ROMÆ *fundatæ & conſtitutæ* ECCLESIÆ, *eam, quam habuit ab Apoſtolis* TRADITIONEM, *& annuntiatam ab omnibus Fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos indicantes, confundimus eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſcientiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim* ECCLESIAM, *propter potentio-* Iren.l.3. c.3.

rem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam.

Quam laudat ECCLESIAM Irenæus? non quam Petrus & Paullus cõſtituerũt ROMÆ? quam Succeſſionem? non ROMANORVM Epiſcoporum? Ad quam ECCLESIAM propter potentiorem principalitatem vult reliquas conuenire Eccleſias? non ROMANAM? Nulla hîc Saxonica, nulla Lemannica, nulla Friſica Eccleſia. nuſquã hîc Lutherus, Caluinus, Menno: nuſquam horum ſucceſſores. nuſquam alia fides, quàm ROMANA. & qui aliud ſentiunt ab hac Apoſtolicâ ſucceſſione, video confundi. Qui verò aliud ſentiunt, ſi non, qui arbitrantur non eſſe decurrendum ad hanc ECCLESIAM, Lutherus, Caluinus, Menno?

De hac ROMANA ECCLESIA audiamus Tertullianum: *Habes* ROMAM, *vnde nobis quoque auctoritas præſtò eſt. Statu felix* ECCLESIA, *cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, Paullus Ioannis exitu coronatur: vbi Apoſtolus Ioannes poſteaquam in dolium igneum demerſus eſt, nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur: videamus quid dixerit, quid docuerit.*

Tertull. De præſcr. aduer. Hæret.

Quare hæc pręreliquis *Statu felix* ECCLESIA? nullis nimirum tempeſtatibus euertẽda, nec

nec dimouenda à ſemel acceptâ Fidei regulâ, Apoſtolico ſanguine rigatâ. Hîc portus, hîc VERITATI tuta ſtatio eſt, fida carinis nauigantibus. Hîc Apoſtolicæ vineæ torcular nobile. preme: ſuccum exprimes Dominicę vineæ. nam illam labruſcatam, Geneuæ reperies, Franekerę, VVittenbergæ. Ad ROMANAM ECCLESIAM relegat dubios, aut aliud quàm maiores profitentes; ego etiam te & tuos. intuere. & ſi quid iudico, exſpues de facili, quod hauſiſti virus. Vis ſcire vnde hauſeris? docebit te Cyprianus:

Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur. nec VNVS *in* ECCLESIA *ad tempus* SACERDOS, *& ad tempus* IVDEX VICE CHRISTI *cogitatur: cui ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum Sacerdotum collegium quidquam moueret.* Cyp. Epiſt. 55.

At quis erit hic ſacerdos, qui Chriſti vices ſubeat in terris? cui obtemperent quotquot vbique fideles? Lutherus? Caluinus? Menno? Cyprianus nimirum illos deſignarat: & cùm illi tot ſæculis nuſquam eſſent, ideò tot hęreſes natæ. Verùm quis ex illis vices Chriſti geret in terris? omnes non poſſunt: vno tempore omnes. Quis ergo vnus ex illis, cui obtemperent reliqui? Lutherus? non paret illi

Caluinus, non Menno. Caluinus? nulli primas cõceſſerit Lutherus, nulli Menno. Menno? rideant hãc de Æſopo fabulam priores. & vnum tamen vult Cyprianus: & hæreſeos cauſſam aſſignat, quòd vni illi obſequia & patientiam negent, qui ſeipſos præſciderunt ab hoc capite.

Cyprian. Epiſt. 40. de 5. Preſbyteris.

Hoc caput vis quale ſit, & in quâ ECCLESIA? *Deus vnus eſt, & VNA ECCLESIA, & CATHEDRA VNA ſuper Petrum Domini voce fundata.* Vna ergo CATHEDRA, nec alia quàm ROMANA. nam quæ alia? Gebennenſis, VVittenbergica, Friſica? nec ipſi fatentur. aut ſi fatentur, deligant vnam ſibi. At ſi quid illos noui, antè ROMANAM deligent, quàm prærogatiuam hanc vni ſuorum concedant. & vt quàm maximè vnum deſignent è ſuis, duo fateantur neceſſum eſt. Primùm, tot ſæculis nec Eccleſiam vnam, nec Cathedram vnam, nec Chriſtum vnum, nec vnum fuiſſe Deum. Deinde mortuo hoc ex corpore ipſorum capite, aliud deſignent; ſed omnium aſſenſu, omnium. quòd ſi non poſſint, nos verò poſſimus, quid cauſſæ eſt, quo minùs fateantur, nuſquam caput hoc eſſe extra Romanam Eccleſiam?

Cypr. lib. De vnitate Eccleſ.

Decidet clarè omnem hanc quæſtionem Cyprianus ipſe: *Qui* PETRI CATHEDRAM *deſerit, in* ECCLESIA *non eſt.* Vbi eſt, qui in

Eccleſia non eſt: & Petri Cathedra vbi eſt, ſi Romæ non eſt? Quòd ſi, vbi Petri Cathedra eſt, ibi Chriſti Eccleſia eſt; & vbi Chriſti Eccleſia eſt, ibi Veritas eſt, ibi Spiritvs sanctvs doctor eſt; & Cathedra Petri aut nuſquam, aut Romæ ſit; ſequitur in Romana Ecclesia genuinum Veritatis ſpiritum eſſe, ac Scripturarum omnium primogenium ſenſum.

Eleganter in hanc ſententiam Athanaſius: *Domino ſancto & Apoſtolici culminis venerando Marco, ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedis, atque vniuerſalis Eccleſiæ Papæ Athanaſius & vniuerſi Ægyptiorũ Epiſcopi ſalutem.* Epiſt. ad Marcum Papam anno 340.

Optamus à veſtræ ſanctæ Sedis Eccleſiæ auctoritate, quæ eſt mater & caput omnium Eccleſiarum, ea ad correptionem & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere per præſentes legatos mereamur. Alterius ergo capitis membra ſunt, alterius vteri filij ſunt, quicumque matri huic & capiti renuntiarunt. Viderint igitur, cuius matris & capitis Lutherani, Caluiniſtæ, Mennoniſtæ, filij & membra ſint; cùm Orthodoxarum Eccleſiarum matris & capitis, filij & membra non ſint. Et clariùs etiam, ſuum, Ægyptij, Thebaidis, & Libyæ Epiſcoporũ ſenſum aperit: *Pater Beatiſsime, quia ſemper anteceſſores noſtri, & nos, à veſtrâ Apoſtolicâ ſanctâ ſede auxilium hau-* Epiſt. ad Felicem II. Papam.

ſimus, & noſtri vos curam habere cognouimus, præfatam Apoſtolicam & ſummam expetimus, iuxta Canonum decreta, Sedem; vt inde auxilium capiamus, vnde prædeceſſores noſtri ordinationes & dogmata, atque ſubleuationes ceperunt: ad eam quoque quaſi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur; quoniam non poteſt mater obliuiſci infantē ſuum: ſic & vos nolite obliuiſci nos vobis commiſſos.

Lutherus, Caluinus, Menno, à quâ ſede dogmata exſpectant, aut accipiunt? ROMANAM auerſantur. Sed neque agnoſcūt aliam. aut ſi aliam, quam? vnam non poſſunt: neque enim ab vnâ tam pugnantia dogmata. Matrem deinde ROMANAM agnoſcit Athanaſius; & Orthodoxæ matris Orthodoxus filius agnoſcit vbera, Apoſtolicæ fidei diſtenta lacte: fateturque ſe commiſſum huic matri: nimirum à Domino Eccleſiarum vnico parente. Iam qui Romana agnoſcit vbera vt Matris, non VVittenbergica ac Lemannica repellet vt extranea? vnam enim ſcimus matrem prolis vnius; & prolem vnam, non niſi vteri vnius.

Videamus quid Alexandrinus Cyrillus de hac Pontificiâ poteſtate ſenſerit: *Non priùs Neſtorij communionē confidenter deſerere auſi fuimus, quàm hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hîc ſentias, declarare:*

Epiſt. ad Cæleſtinū Papam anno 430.

quò

quò liquidò nobis conſtet, communicarène nos cum Neſtorio oporteat, an verò liberè eidem denuntiare, neminem cum eo communicare.

Neſtorij agnoſcit impietatem & hæreſim, nec hæreſis tamen crimen audet inferre, ſine PONTIFICIS ROMANI exſertâ ſententiâ: nec ab illius ſe ſuoſque communione præſcindere. Hunc ergo fidei agnoſcit Iudicem, ad cuius vnius ſententiam decurrit in cauſsâ fidei, in hæreſis denuntiatione. erit proinde Cyrillo hæreticus, quem ROMANI PONTIFICIS ſentẽtia didicerit hæreticum. qualis ergo Cyrillo Lutherus, Caluinus, Menno eſſet?

Paria reperies apud Maximinianum Conſtantinopolitanum: *Omnes fines terræ, qua Dominum ſincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici, verain fidem confitentes, in* POTESTATEM ROMANORVM PONTIFICVM, *tamquam in Solem reſpiciunt: & ex ipsâ lumen Catholicæ & Apoſtolicæ fidei recipiunt.* Epiſt. ad Orientales anno 430.

Quicumque ergo ab hoc Apoſtolicæ fidei Sole lumen non accipiunt, à quo accipiunt? neq; enim in orbe vno alius quàm Sol vnus: neque in myſtico hoc Eccleſiæ cælo plures Soles eſſe poſſunt: poſſunt ſidera ſub hoc Sole; ſed ita, vt ab hoc ipſo lumen ſuum mutuẽtur. Ab hoc igitur Sole cùm lumen ſuum non mutuẽtur Lutherani, Caluiniſtæ, Menoniſtæ; Catholicæ & Apoſtolicæ fidei lu-

mine viduatos, ſpuriáque radiatos luce cum Maximiniano fatearis.

Fortiter in hanc ſententiam Hieronymus ad Damaſum: *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri cõmunione conſocior. ſuper illam petram ædificatam* ECCLESIAM *ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comedit, profanus eſt. Si quis in arcâ Noë non fuerit, peribit regnãte diluuio.* Pergit: *Non noui Vitalem, Miletium reſpuo, ignoro Paulinum. Qui tecum non colligit, ſpargit: qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.*

Hieron. ad Damaſum.

An meo hîc opus Commentario? PETRI CATHEDRAM nõ agnoſcit aliam, quàm ROMANAM. Qui Vitalem, qui Miletium, qui Paulinum tranſit, ſoli Damaſo ſociatur; quid faceret, ſi Lutheri, ſi Caluini, ſi Mennonis audiret nomen? Qui extra ROMANAM ECCLESIAM agnum comedit, profanus Hieronymo eſt; qualis eſſet, qui de Lutheri, Caluini, Mennonis mẽsâ comedit? Qui Damaſi non eſt, Chriſti non eſt, Antichriſti eſt; qualis ergo erit, qui Lutheri, qui Caluini, qui Mennonis eſt? nam hi Damaſi non ſunt. ergo Antichriſti ſunt. Iam & diluuio perit, qui in arcâ Noë non eſt: quibus igitur aquis, quibus obruitur fluctibus, qui Tyrrhenum non nauigat æquor? qui Petri, qui Damaſi, qui Romani Pontificis non vehitur naui?

Hieronymo ſuccenturiatur Auguſtinus: *Multa ſunt, quæ in* ECCLESIÆ *gremio me iuſtiſſimè teneant: tenet conſenſus populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipsâ Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum: tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen; quod non ſine cauſſâ inter tam multas hæreſes ſic iſta* ECCLESIA *ſola obtinuit, vt iam omnes hæretici ſe Catholicos dici velint. Quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuam vel domum audeat oſtendere. Iſta ergo tot & tanta Chriſtiani nominis chariſſima vincula, rectè hominem tenent credentem in* CATHOLICA ECCLESIA. Aug. cont. Epiſt. Fūd. c. 4.

Succeſſio Sacerdotum in Sede Petri tenet Auguſtinum in ECCLESIÆ gremio. quid Lutherum, Caluinum, Mennonem excuſſerit ex hoc gremio, ego non video: niſi aut improba carnis diffibulatio, aut Sodomæ pellacia, aut ignis Moab. Nā quid aliud? neque enim illos cum Auguſtino tenere potuit concors populorum aut gentium conſenſus, de quo nihil intulerunt, qui de ſuo pectore Euangelium innouarunt; cùm illis propoſitum

tum fuerit aliter docere, quare & aliter diſponere inſtrumenta doctrinæ, quàm tot ætatibus inualuerant. Non auctoritas miraculis firmata: nam miracula illis præſtigiæ ſunt, & magicarum artium ludi. Non nuſquam intercisâ ſerie felix in Petri Cathedrâ ſucceſſio, cùm ſucceſſionem omnem rideant, vt ſuperforaneam. Fortunati! qui ſolo riſu, tãquam plumeâ ſcopâ, omnem ab atriis ſcholiſque ſuis euerrunt ſucceſſionem, quâ carere ſe ſciunt. aut ſi quam habent, edant ſi poſſunt, & oſtendant nobis Eccleſiarum ſuarum ſucceſſiones. Lutherus cui ſucceſſit? cui Caluinus? Menno cui? Imò, quis Luthero, Caluino, Mennoni ſucceſſit? Nam in tantâ opinationum inuicem pugnantium varietate, inter Lutheri, Caluini, Mennonis diſcipulos, quis vnus potuit ſuccedere? Singuli ſe clamant Apoſtolicos ſucceſſores, Apoſtolicos heredes, & ex aſſe heredes, & ſolos heredes, reliquos de adulterio deputandos. cui ergo hanc hereditatem? omnibus non poſſumus: vni ergo adiudicanda, nam reliqui de ſpurio puluinari ſunt: cùm VERITATI non niſi germen vnum, vniforme. Plura ſi cogitas, mutuò bellantia, VERITATEM tollis. vna eſt. cuius heredes pugnãtibus inſtructi plures eſſe nõ poſſunt. vnus ergo. Quem anteferes? quãtũ vni cõceſſeris, tantũ reliquis detraxeris.

REDAN.

REDAN. Satis eſt Apoſtolorum fuiſſe heredes, & ſolos heredes, & ex aſſe heredes.

LIPS. Nimirum Apoſtoli anteprouidâ propheticâ ſcientiâ præuiderant poſt annos mille quingentos Lutherum, Caluinũ, Mennonem venturos; & hos tot ſæculis antè teſtamento heredes cauerant. Verùm quis ex his heres? omnes, vti dixi, ex aſſe eſſe nõ poſſunt. an partitio iure ſinguli? Hereditatis ergo partem alteram ex Apoſtolicâ teſtatoriâ voluntate, alteram ab Apoſtolorum æmulo acceperunt. Verùm quis horum heres Apoſtolorum? Si vnum deſignaueris, & vnũ tantùm, erunt reliqui de meretricio ſinu. Imò ſi verum fateri velis, in tantâ doctrinæ diuerſitate, quam declamant horum heredes, omnis prætenſa hæc Apoſtolica hereditas, adulteratio, non legitima ſucceſſio cogitanda eſt.

Auguſtino accedit Theodoretus: *Tenet enim ſancta* (ROMANA) *iſta Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum, cùm propter alia, tum quia ſemper hæretici fætoris expers manſit; nec vllus vmquam, qui contrarium ſentiret, in eâ Sede ſedit: quin potiùs Apoſtolicam gratiam puram cuſtodiuit.* Cùm fides veſtra alia ſit à ROMANA, hæc verò *hæretici fætoris expers manſerit*; neceſſum eſt veſtram ab hæreſi eſſe, improbæ matris improbam ſobolem. Vna namq; fides eſt, vt Deus vnus.

Epiſt. ad Renatum anno 450.

Iam

Iam ſi ROMANA puram ſeruauit *Apoſtolicam gratiam*; ſequitur, quam conſecuti eſtis gratiam, non Apoſtolicam, ſed mœchiæ, adulteræ nimirum matris, patriſque ſpurium germen eſſe. Demum, ſi ROMANA ECCLESIA *gubernacula tenet regendarum cuncti orbis Eccleſiarum*; ſecurè nauigat fides illa, quæ illâ ductrice velificata, cauta curſum tenuit, nullis olim hæreſeos alliſa breuibus, nullis hodie infixa vadis. At illa quæ ab hoc gubernaculo volútariè naufraga, ſe ipſam excuſſit in profundum, inextricabili impacta ſalo, quid ſperet deſorbenda fluctibus? Hæc veſtra eſt: quę vltroneo delectu gubernaculo ſe exuit, nouum fabricata, naucleris nouis: & de ſuo, non maiorum ingenio, ſulcat maria, proſcinditq; à temerario auſu, infelici exitu, fidei fluctus, irreſpirabile effocatis effugium.

Audi eumdem Theodoretum ad Leonem Papam: *Si Paullus præco veritatis, tuba ſanctiſſimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, vt iis, qui Antiochiæ de inſtitutis legalibus contendebant, ab ipſo adferret ſolutionem: multò magis nos, qui abiecti ſumus & puſilli, ad Apoſtolicam ſedem veſtram currimus, vt Eccleſiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus.*

Ad Apoſtolicam Sedem Theodoretus decurrit, ad Leonem Magnum, vt Eccleſiarum vulneribus medicinam accipiat. Ad quem Luthe-

Lutherani, Caluiniſtæ, Mennoniſtæ decurrunt? ad Lutherum? non agnoſcũt hunc medicum Caluiniſtæ. ad Caluinum? ignorant hanc manum Mennoniſtæ. ad Mennonem? nullus hic prioribus illis medicus, ac ne chirurgus eſt. Ergo ad quem? ad omnes? vnum corpus tot aduerſantibus medicis; vna ægritudo, tot ex diametro pugnantibus leuabitur medicamentis?

REDAN. Nihil neceſſum eſt recurſu ad horum aliquẽ; SCRIPTVRAM petat, quiſquis mentem trahit ignorationis vulnere grauem.

LIPS. Etiam mulier? etiam puer? etiam qui nec litteras vidit? Quid ſi hauriat venena, vnde debebat ſalutem? aut omnes, omnes, quà patet Orbis, ſaucij, primo occurſu, & remedia inuenient malis, & intelligent? Hippocrates, Galenus, Auicenna, magna planè apud ſæculi medicos nomina, quanta de morborum generibus, de remediatione quanta, ſolida, clara? & tamen de horũ mente, pugnant inter ſe, non indoctum vulgus, ſed ſcientiæ huius Principes. Quid fiet ab imperito quoque SCRIPTVRÆ ſacræ Lectore? aut quomodo conſpirabunt tam varij, ſine doctore, in vnam illius mentem, VERITATIS ore dictatam? Ipſi primi veſtri ductores acerrimè pugnant de illius ſenſu vero; & abeunt ferè poſt omnem pugnam in contrarias

opina-

opinationes; quid facient gregarij milites, calones, lixæ, non ſequentur Imperatores ſuos? Pugnabunt etiam acriùs,&quo quiſque ingenij aut iudicij minus attulerit,hoc & abibit in retroſiores à Scripturâ ſenſus, & adhærebit pertinaciùs, cùm ſibi perſuaſerit nil opus ductore,nihil magiſtro.

Pet. Chryſologus in Epiſt. ad Eutycheté. Habetur tom. I. Cócil. ante Conc. Chalcedonen.

Saniora reperies monita Chryſologi ad Eutychetem: *Hortamur te, Frater Venerabilis, vt his, quæ à Beatiſsimo* PAPA ROMANÆ CIVITATIS *ſcripta ſunt, obedienter attendas, quia B. Petrus, qui in propriâ Sede viuit, & præſidet, præſtat quærentibus Fidei veritatem.* Propria ergo Petri Sedes ROMANA eſt. Non VVittenbergica Lutheri, Lemannica Caluini, Friſica Mennonis. qui cùm non ſocientur Romanæ Sedi Petri,nec Petro: ac proinde nec Chriſto ſociantur. neq; enim de Chriſti conſortio eſt, qui de Petri, qui de Romano non eſt. de adulterinis ergo, de ſpuriis, de damnaticiis participant, qui de Romano non participãt. Viderint ergo illi, qui Romanæ, qui Petri, qui Chriſti, Lutheri ſedẽ, Caluini, Mennonis prætulerunt. nobis extra Romanam, hoc eſt Petri, hoc eſt Chriſti, ſedes nulla eſt. Hanc cum Theodoreto, cum Chryſologo, vt Fidei, vt Veritatis regulam tenemus. à quâ qui deſciuerunt, à Petro, à Chriſto deſciuerunt; eoq; magis, quò magis à Romanâ deſci-

deſciuerunt. neque enim VERITATIS plures ſedes eſſe poſſunt. vt enim vna Dei eſt, & vna tantùm, ita VERITATIS vna eſt, & vna tantùm. nam illius, qui dicebat *in corde ſuo: In cælum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis*: de mendacio fuit; de VERITATE non fuit. quare & cum ſeſſore ſuo *ad infernum* detracta eſt, *in profundum laci*. Veræ ergo FIDEI ſedes vna eſt, vt VERITATIS vna, DEI vna. Quicumque proinde diuidit, aliam ſedem diuidit. nam hanc vnam nemo diuidat: indiuiſa enim vnitas eſt. Dum ergo Lutherus, Caluinus, Menno, Fidei ſedem diuidunt, dum ſinguli ad ſe partem illius rapiunt, partem deſtituunt, non poſſunt in VERITATIS ſede conſiſtere. neque enim capit illa ſeſſorem diuiſa. ſed neque diuidi ſalua VERITATE poteſt. quæ ergo diuiditur, mendacij ſedes eſt: diuiſione gaudet, & inuiſum cælo portentum eſt, ſectione creſcit ad exemplum Herculeæ fabulæ, Iſaiæ 14.

Cùm duplices pareret vulnere mors animas.

Nec alienior ab hoc ſenſu olim Ariſtoteles: Τὸ μὲν ἁμαρτάνειν, πολλαχῶς ἐστί· τὸ δὲ κατορθοῦν, μοναχῶς. *Aberrare variis poſſumus modis, rectè vno licet modo agere.* Quod ille de errore, deque rectâ actione, hoc de falſo veroque locum habet. Vis hanc rem clariùs?

 Primi

Primi ſedis huius ſectores Lutherus, Caluinus, Menno. exinde ſurrexerunt ex horum ſingulis ſectores plurimi, de mendacio omnes, de fallaciæ ſpiritu omnes. aut ſi non omnes, quis inter tam multos vnus de VERITATE eſt? Omnes eſſe volunt, eſſe non poſſunt omnes. vnus igitur ille, ille vnus, qui VERITATIS ſedem occupauit, quis eſt? è Lutheri, Caluini, Mennonis diſcipulis quis? in tam pugnantibus ſententiis quis? nam in vnâ VERITATIS ſede pugnantia ſedere non poſſunt: VERITAS enim numquam multiplex eſt, vna eſt. & olim dictum: Τῆς ἀληθείας ὁδὸς φαύλη. *Veritatis via ſimplex eſt.*

ORTHODOXÆ FIDEI CONTROVERSA.

LIBER II.

De Apoſtolicæ Fidei germanis denuntiatoribus.

CAPVT I.

Hæretici non miſſi, non vocati.

Lutherus, Caluinus, Menno, nullius imperio, ſed vltroneâ lubentiâ, arrogatâ ſibi Euangelij prædicatione, Apoſtolicæ Fidei Doctores dici non poſſunt.

LIps. Opto ſcire, quâ auctoritate prodierint; quâ nouā lucem mundo intulerint; à quâ hæc ſidera hunc Solem nocti prætulerint. Suâ? clamat Apoſto-
lus: *Quomodo verò prædicabunt, niſi mittan-* Rom.10.
tur? Nam & ipſos Apoſtolos miſſos ſcimus:
Ite in mundum vniuerſum, prædicate Euange- Mar.16.
lium omni creaturæ. &: *Miſit illos prædicare*

regnum Dei. Miſſi ergo Apoſtoli ad prædicandum: in Eccleſiis quas condiderunt, ſucceſſores & prædicatores præfecerunt: hi alios in hãc ætatem. Ex his ſucceſſoribus, qui cum originalibus cõſpirant, quis Lutherum, Caluinum, Mennonem miſit? quis his demandauit Eccleſiarum adminiſtrationem? quis illos docuit aliam fidei regulam ſuperducere, diuerſam & contrariam illi, quam Apoſtolici ſucceſſores protulerant? Non in re nouâ, tot inauditâ ſæculis, iure cum Tertulliano dicendum: Qui vos? quando? vnde? quâ ſemitâ? quid paſcua noſtra depalatis? quid ſegetem metitis? quid ſiluam cæditis? quâ licentiâ fontes noſtros tranſuertitis, torrentes auertitis, flumina deflectitis? quâ poteſtate limites commouetis? Noſtra eſt poſſeſſio, ſeculorum poſſeſſio. Habemus origines certas, firmataſque ab ipſis, quorum fuit res. Maiores noſtri heredes ſunt Apoſtolorum, nos Maiorum. Sicut Apoſtoli cauerunt teſtamento, ſicut Maiores adiurarunt, ita tenemus. Vos alieni ab hac hereditate, nullo ſanguinis fœdere, nullius teſtamẽti tabulis, nullis teſtibus, inuolatis in hereditatem alienam: Si non alienam, quo iure veſtra eſt? quo illam ſanguine vendicatis? Mille quingenti anni ſunt ab Apoſtolorum ad veſtram ætatem, tot annis quis poſſeſſionem vobis debitam

tam occupauit? aut ſub cuius illa tutelari manu ſtetit, heredibus tradenda? edite hos tutores: qui ſi nuſquam ſunt, edite Maiores, per quorum ad vos manus hæc hereditas obuenit. Edat mihi illos Heidelberga; edat Gebennenſis Caluiniana Eccleſia; edat Franekerana Friſica. Quis mihi apud illos euoluet ordinem Epiſcoporum Lutheranorũ, à quibus ſua dogmata hereditario iure acceperũt? quis Caluinianorum? quis Mennoniſtarum? ita per ſucceſſiones ab initio currentem, vt primus Lutheranorum, primus Caluinianorum, Mennoniſtarum primus Epiſcopus, aut Apoſtolum, aut Apoſtolicũ deſignet virum, à quo Lutherana, Caluiniana, Mennoniana placita demandata? Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ, quæ Apoſtolicam profitentur doctrinam, Fidei ſuæ legitimæque miſſionis teſſeram deſignant. Ita Pariſienſis Eccleſia Dionyſium, Arelatenſis Trophimum, Viennenſis Creſcentem, à Paullo; Cenomanenſis, Bituricenſis, Lugdunenſis, Iulianum, Vrſinum, Photinum, à Ioanne; Gallia verò vniuerſa Eutropium, Maternum, Eucharium, Valerium, Memmium, Clementem, à Petro. Hæc de plurimis, & quidem in ſolâ Galliâ noſtrâ libaſſe ſatis eſt. Sic reliquæ per orbem Orthodoxę Eccleſię, ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutæ, Apoſtolici

ſeminis traduces habent, à quibus Apoſtolico ore, Dominico imperio, traditam fidem acceperunt; acceptamque ad poſteros transſcripſerunt; deſignatis in prædicationis Fideique munere, heredibus ſucceſſoribus: à quibus nos, quam tuemur, hauſimus, eò feliciùs, quò illam, tamquam per manus traditam, longâ certaque ſerie, ab Apoſtolico ore ſcimus promanaſſe; ſuccedẽtibus mutuò ſibi, in hanc ætatem noſtram, ſemel imperatę fidei fortunatiſſimis propugnatoribus. Confingant tale quid Lutherani, Caluiniſtæ, Mennoniſtæ.

Redan. Quid opus humanâ demandatione? ſatis ſit à Chriſto vocatos in Apoſtolatum nouum.

Lips. Vnde mihi hæc vocatio? quâ luce? quâ nocte? quibus teſtibus facta? vbi Apoſtolici mores? virtutes? ſigna? & an omnes Apoſtoli? potuerunt tam varia, tam inuicem pugnantia, ab Apoſtolis, hoc eſt, à Deo, Apoſtolorum delectore? potuerunt ab vnâ Veritate contrarietate ſuâ inuicem damnantia? aut quam tu mihi ex his nouis Apoſtolicis doctrinis cum Veritate dices conteſſerantem? Lutheranam? damnes neceſſum eſt Caluinianam, Mennonianam. has? damnes Lutheranam. Quam proinde? quam? aut quis horũ pleniorem, quis maiorem dignationem

tionem conſecutus eſt à VERITATIS ſpiritu? Quemcumque prætuleris, reliquos damnabis. aut ſi omnes de damnatitiis participant, non veniunt à VERITATE, ſed à Veritatis æmulo. cum quo cùm habeant conſortium fidei & prædicationis, reliquum eſt, vt habeant & damnationis.

REDAN. Verùm omnis illorum doctrina ab Euangelio eſt. à quo quid poteſt eſſe non certiſſimæ, non probiſſimæ notæ?

LIPS. Etiam de papauere fici gratiſſimæ & ſuauiſſimæ, ventoſa & vana caprificus exſurgit. Scio de Euangelio fruticaſſe. etiam inimicus homo ſuperſeminauit zizania tritico. & quàm multa indies à ſemine degenerant? Hi ſanè propè in totum ab omni VERITATIS grano refugi, ſoloque perpetuo mendacio fecundi, nihil præferunt præter adulterinas ſpicas, quibus incautos ſub imagine veri tritici, ſub Euangelici nominis vmbrâ, in erroris tenebras trahunt. Et cui potiſſimùm Euangelica patrocinatur VERITAS? Omnibus non poteſt. Numquam illa multipartita eſt: vna eſt. vni ergo, & vni tantùm. Vnum delige, damna reliquos.

REDAN. At Apoſtoli doctrinas haſce non damnarunt.

LIPS. Fateor, non habuiſſe Apoſtolos coætaneam ſibi aliquam hæreſin, quam damnarent

narent tamquam Lutheranam, Caluiniſtanam, Mennonianam. At ipſæ mutuò ſe de diuerſitate, de contrarietate damnant: ac eipsâ oſtendũt doctrinam, quam tradunt, non eſſe Apoſtolicam, quæ vna eſt, & vna tantùm. Imò: non hoc eſt doctrinam ab Apoſtolis prædamnatam eſſe; ſi diuerſa ab Apoſtolicâ traditione ſit? Diuerſam eſſe, ſententiarum edocet diuerſitas. Nam inter Apoſtolos nulla pugna, doctrina eadem eſt: nec Apoſtoli ex ſuo quiſque arbitrio, quod inducerent, elegerunt; ſed acceptam à Chriſto doctrinam, nationibus aſſignarunt: et inde & Eccleſias apud pleraſque principes ciuitates condiderũt. à quibus fidei & doctrinę ſemina ceterę deinceps Eccleſię mutuatę ſunt, & mutuantur quotidie, vt fiant Eccleſiæ. Ac per hoc & ipſæ Apoſtolicę deputantur, vt ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. Intuere vniuerſam Religionis noſtræ ſeriem, circumſpice Regna & Prouincias, & ſæculorũ memoriam; nec opus erit alio ductore. Et iam antè oſtendi, Fidem, quam profitemur, à Maioribus accepiſſe, illos ab Apoſtolorum ſucceſſoribus, hos ab Apoſtolis, Apoſtolos verò à Chriſto. Hęc regula nobis certa. hanc tenemus. Reliqua omnis doctrina de mendacio prępiudicãda, vt quæ pugnet cum Apoſtolicâ, cum Deo ipſo, primaq; VERITATE.

Redan. Et noſtra quam damus, doctrina Apoſtolica eſt, ac proinde Dei eſt.

Lips. Tu tuam Apoſtolicam! Quis illam vobis ab Apoſtolis acceptam tradidit? edic originem & ordinem Eccleſiarum veſtrarum. deſigna nobis manus, per quas ab Apoſtolorum ætate, Apoſtolica doctrina accepta & tradita vobis fuerit. Quòd ſi non potes, fatearis non eſſe Apoſtolicam, quam omni Maiorum traditione ac ſucceſſione deſtitutam vides.

Caput II.

Deſtituti ſignis Apoſtolicæ doctrinæ.

Omnibus, quæ fidem facere Apoſtolicæ doctrinæ poſſent, Lutherus, Caluinus, Menno deſtituti, Apoſtolicæ fidei denuntiatores dici non poſſunt.

Evangelium nos eâ explicatione & ſenſu, quo tenemus, dicimus legitimum. idem Lutherus, Caluinus, Menno aſſerunt, ſenſu ſinguli ſuo. Quis inter nos determinabit niſi temporis ratio, ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur; & ei præiudicans vitiationem, quod poſterius euincetur? in quantum enim falſum corruptio eſt veri, in tantũ præcedat neceſſum eſt veritas falſum.

Da mihi tu hîc aliquam Eccleſiam noſtram: ſi originem quæris, videbis Apoſtolum, aut Apoſtolici ſeminis præferre auctorem. percurre omnes, omnium pari excurſu generoſitas cognoſcetur. Vnam tu deinde mihi Eccleſiam veſtram, cuius originem, non iam dicam ad Apoſtolum, aut Apoſtolicum germen, ſed ante Lutherum deduxeris. vt iam hinc, & huius, & qui eum ſequuti, Caluini & Mennonis, fidem obtundam, qui vnde illam probent, non habent; & impudentiam ſuffundam, qui vnde eam poſſint vindicare, prædeceſſorem non inueniunt. Ab Euangelio probant? omnes à primordio aduerſarij Euangelium crepant, Phygellus, Hermogenes, Philetus, Hymenæus, Marcion, Valentinus, Praxeas, Baſilides, Quintilla, Apelles, Caiani, Gnoſtici. At nos Euangelij ſenſum, communi ſanctorum omni ſæculo Patrum ſententiâ, vindicamus. Da ſimile, & obduxeris. vt hinc iam meritò erubeſcat impudentia, de ſuo arbitratu obtrudens, quod in ſalutis negotio credamus; tantoq. magis de ſuo, quantò de maiorum mente recedit; tantoque magis recedens, quantò magis de ſuo profert; hîc tranſmutando, ibi euertendo, alibi repellendo; vt iam arbitreris SCRIPTVRAM SACRAM teſſeras eſſe luſorias, aut infantiæ pilam, quam de ſuo repercutiant,

in quem volunt opinationis angulum.

Redan. Non defuerunt interim viri principes, viri magni, qui Luthero, qui Caluino, qui Mennoni aures animumq; adhiberent.

Lips. Neque defuerunt, qui Proculo; Romulumque venerarentur ſolis mendacij ſcalis aſcẽdentem. quid mirum ſi iiſdem ſcalis Lutherum, Caluinum, Mennonem, de veritatę deſcẽdentes auſcultauerint, annuntiatores carnalium cogitationum: quaſi non & Orcus dilatauerit os ſuum, vt deſcendant inclyti, & elati comminuantur, & ruant gladio ſublimes: quaſi apud eos qui dormiunt in lectis eburneis, & fluunt deliciis in toris ſuis, plaudentes ad ſonum organorum, habitet intelligentia. Verùm ad rem noſtram, & ad Scriptvrarvm genuinum ſenſum. quis illum nouit? quis illius medullas? Lutherus? Caluinus? Menno? an tot retrò ſęculis maiores noſtri, qui à Domini aut Apoſtolorum diſcipulis, quod tradiderunt, acceperunt? Habemus hos fidei magiſtros deſignatos, omnia vtique docturos; habemus ab Apoſtolis, aut horum ſucceſſoribus diſcipulos adoptatos, omnia vtique ad ſalutem neceſſaria accepturos; & ſtamus adhuc de fidè dubij? Vnum vos nobis, aut Eccleſiam apud vos vnam exhibete Apoſtolici cenſus, & euiçeritis. Sed nimirum renouare vobis mundo pla-

placuit nouamen nouum, Deum nouum, quindecim ignotum ſæculis; quem nouus aliquis Triptolemus, poſt tot ætatum latebras educeret. mirum ſi non & de Atticâ idololatriâ, deque ſuperſtitione Romanâ ignotum, cui & aras proſtitueret. Hæc ſanè neceſſum eſt vos fateri; aut indicare, à quo fidei quam traditis regulam, eo quo traditis ſenſu, acceperitis. Interminatur Apoſtolus:
Galat. 1. *Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Teneo hîc te Apoſtoli verbis, elabere ſi potes. Quod euangelizauit Lutherus, à quo accepit? à quo, quod Caluinus? quod Menno, à quo? anathema ergo illis, qui euangelizauerunt, quod non acceperunt: aut ſi acceperunt, à quo? Apud nos nihil reperies, niſi quod à maioribus accepimus; hi à prædeceſſoribus, ſinguli ab ætate retroſioribus, demũ ab Apoſtolis ipſis, qui Dominum habent auctorem. Vos verò, Lutherum, Caluinum, Mennonem, primos eſſe fidei ſuæ denuntiatores, vel nolentes fateamini. ſin minùs: oſtendite à quo ſinguli ſuam, ſuam omnem acceperint. Hoc ſi non poteſtis, cõcedite nobis doctrinam veſtram, cùm alius auctor deſit, ab Angelo quopiam ſeductionis, transfigurante ſe in Angelum lucis, aut de æmulationis & prærogatiuæ ſtudio natam. ita enim ferè hæreſis, teme-
raria

raria interpres diuinæ diſpoſitionis, exoritur. Inde Lutherus animalem fidem ſuam: ab Epicureis venerat. inde Caluinus blaſphemam doctrinam ſuam: Mahumetem æmulabatur. inde denique Menno omnem carnẽ carni repromittit: Eleuſinia legerat. Hinc tot magnæ fabulæ ſæculis inauditæ. hinc adulteria Scripturarum, & veritatis interpolatio. hinc nata Apoſtolici nominis affectatio, varietate inuicem repugnãtium opinionum, ſe, ſuos, Euangeliaque mutua interimens. Inter tot pugnas, & internecina bella, cui me addicam Chriſtianus? Antè credidi quod à Maioribus acceperam: cur fidem mutem? cur veterem deſeram, amplectar nouam? Nemo quod habet quærit (ego antè fidem habui) ſed vel quod poſſeſſum antè perierat, vt illa anus, quæ vnam ex decem drachmis; aut quod nouè deſiderat, quo antè caruit. Primum eſſe non poteſt: numquam mihi Lutheri, Caluini, Mẽnonis fides perierat, quam numquam habui; imò quam nemo ante Lutherum, Caluinum, Mennonem habuit. De ſecundo verò, quid dicam? apud quem horum trium quæram? Apud omnes in tantâ opinionum varietate nõ poſſum: apud quem ergo? Singuli ſingulos damnãt, vt extraneos, vt ouilis Chriſti hoſtes, vt lupos. quis ſeruus cibaria ab extraneo, quis miles donatiuum
ab

ab hoſte, quæ ouis auxilium à lupo, petere aut ſperare prudenter poteſt? Si ergo illi mutuo iudicio ouili Chriſti extranei, hoſtes lupi; non erunt mihi pulſandi in ſubſidium. ſed neque ductores eſſe poſſunt ad ouile Domini.

REDAN. Et ductores hi, & oues veræ, quę audiant vocem Domini, ex ouili Chriſti, Scripturam dico, Dominico ore prolatam.

LIPS. Tu Lutherum, Caluinum, Mennonem arbitraris Scripturã habuiſſe veram; illius, inquam, ſenſum verum? quod ſi eſt, ergo ante Caluinum, Lutherum, Mennonem Scriptura non erat: aut ſi erat, vbi Lutheri, Caluini, Mennonis ſenſu erat? neque enim quiſquam ex omnibus retrò maioribus, idem cum Luthero, Caluino, Mennone ſenſit: & tamen Scripturam habebant, tot ſæculorum poſſeſſione firmatam. Ab hac poſſeſſione cur excludimur? aut ſi tamquam ab adulterinâ excludimur, quis alium nos Scripturarum legitimum ſenſum docebit? Scriptura vna eſt, pugnantia deteſtatur. à quo igitur expoſitionum illius veritatem mutuabor? Chriſtus Dominus, à quo omnis Scriptura, Fides omnis, duodecim præcipuos adlegerat, nationibus magiſtros deſtinatos, quos ire iuſſit & docere. Hi conſequuti promiſſam Spiritus ſancti vim, ad virtutes, &

elo-

Digitized by Google

eloquium; primùm per Iudæam, conteſtatâ fide, & Eccleſiis inſtitutis, in orbem ſortitò profecti, eamdem doctrinam nationibus promulgarunt, deſignatis in variis regnis, ac vrbibus, diſcipulis ſucceſſoribus; eamdemque Scripturarum quam acceperant veritatem, quo ſenſu à Domino acceperant, tradiderũt; parique hi fide ſucceſſoribus ſuis conſignarunt: à quibus deinde Maiores, Eccleſiæque in hanc diem noſtræ, veræ fidei traducem, & genuina doctrinæ ſemina mutuatæ ſunt; illaque in primis, quæ nuſquam, quæ nũquam reflexit pedem: tempeſtates paſſa, fluctus, & ſæuum Aquilonem, ſtetit tamen, & tenuit portum ab Apoſtolo deſignatum, à Chriſto promiſſum. atque hinc, ne te teneam diutiùs, hoc volo, omnem Scripturarum expoſitionem, quam à Maioribus accepimus, illi à ſuis, & ab Apoſtolorum denique primis in ſingulis prouinciis ſucceſſoribus, germanam eſſe, & veritati deputandam: vt quæ cum Apoſtolico ſenſu, cum Chriſti, cum Dei conſpirat: reliquam verò expoſitionem de mendacio præiudicandam.

REDAN. Nihil euincis, niſi oſtenderis Scripturarum quam profiteris expoſitionem, de Apoſtolicâ traditione cenſendam; & hoc ipſo ceteras de mendacio venire.

LIPS. Ego verò id à me factum arbitrabar:

bar: parebo tamen, quia vis. Quæ Apoſtoli à Chriſto, quæ Dionyſius, quæ Trophimus, quæ Creſcens à Paullo; quæ Iulianus, Vrſinus, Photinus à Ioanne; quæ Eutropius, Maternus, Eucharius à Petro; quæ Irenæus, Aignanus, Martialis, Ignatius, Hilarius, Martinus, Germanus, Remigius, Amandus, Vedaſtus, Bertinus, Læuinus, Bonifacius, VVillebrordus, Norbertus ab Apoſtolis, aut Apoſtolorum ſucceſſoribus, acceperunt; ea Maiores noſtri, ea nos ſuſcepimus, tenemus. aut oſtendite aliam Scripturarum expoſitionem, ab illis, à nobis ſuperductam Apoſtolicę contrariam, aut Euangelium ab illis in diuerſitate tractatum. Omnes eadem ſenſerũt, tradiderunt; eadem & nos accepimus: aut ſi non eadem, quæ ſunt illa, quæ illi tradiderũt, nos non accepimus? Doctrinam illorum fidiſſimis teſtibus in omnem ituris poſteritatem habemus: libri proferantur; illi de doctrinâ illorum, de noſtrâ iudicent. aut conuince quid de noſtro intulerimus, vt vel detractione vel adiectione, vel tranſmutatione Scripturas remediaremus: niſi & illos nobiſcũ velis erraſſe, deceptos eſſe, & deceptos omnes; & aliud intellexiſſe, aliud credidiſſe, quàm Apoſtoli tradiderunt. Hoc ſi arbitraris, velim ex te audire, errorem hunc à quo acceperint? nam ſingulos è ſuo pectore eumdem

dem ſuxiſſe quis credat? Nemo fuit tot ætatibus, qui Apoſtolicam ſucceſſionem, hoc eſt Dominicum ſenſum, reperiret? aut Lutherum in nouâ Philumene continentiæ desertorem, Caluinum non iam in feminam lapſum, Mennonem non in vnam cum Simone Tyriam compactum, tot constricta ſæculis euinculanda Veritas exſpectabat? Si Caluinus aliter à Luthero Euangelium exponit, & ſine dubio emendans hoc nomine; quidquid emendat, vt mendoſum retrò Lutheri fuiſſe demonſtrat. Si Menno aliter Scripturam commentatur, vtique Lutherum & Caluinum erraſſe voluit, nec Apoſtolicum ſenſum vidiſſe. Ab omnibus verò vindicari Veritas, ac in libertatem poſt tot ætates aſſeri non poterat: neque tot pugnantes expoſitiones, Apoſtolicę dici pro conſanguinitate doctrinæ, neque in pacem, & Apoſtolicam inter ſe communicationem, ob expoſitionum diuerſitatem recipi poſſunt. Eligant ergo ſibi vnum omnes, cui reuelata Veritas; cui Scripturarum poſt tot ſæcula ſenſus verus; qui nouus orbi Apoſtolus, tamquam Paulus, aut delatus in paradiſum, aut in cælum raptus, ea viderit, quæ illum in aliam à maioribus expoſitionem inſtructiorem præſtarét. Nam niſi hunc talem ſtatuant, qui Scripturæ ſenſum à cæleſti incude reſigularet faber nouus,

numquam probare poterunt,aut tot ſæculorum ſcriptores excidiſſe à ſenſu vero, aut illum ignoraſſe. Iam à quo hic interpolator nouus interpolationem ſuam accepit? ab homine? à quo? Quod ſi neminem repererit; fateatur ſtylum ſe ſuum Scripturis, manum Veritati intuliſſe: imò & exertè & palàm machærâ vſum eſſe,ad aliam nobis Scripturam, quàm à Maioribus acceperamus,comparandum. Qui ſi Lutherus erit, apertè falce vſus eſt; ſi Caluinus, callidiore & quaſi ſub ſpongiâ nouaculâ; ſi Menno,plus etiam prioribus adiecit, plus abſtulit. Hæc non ego dico, ſed mutuò de ſe clarè & diſertè. Neque cogitationes hi ſuas ad Scripturam,ſed Scripturam ad cogitationes ſuas aptarunt; vt qui Virgilium ad ingenium ſuum concinnarunt: qui Fabulam ſuam ex Ouidio expreſſerunt: ita & Homero centonas vocare ſolemus,qui de carminibus Homeri proprium corpus ſarciunt. Et vbique fecundior diuina litteratura ad facultatem cuiuſque materiæ. Aut ergo ſinguli fateantur Scripturas ſe ad cogitationes ſuas traxiſſe, illarumque expoſitionem ad ſuam rapuiſſe materiam; aut aperiant nobis,à quo,& illam,& has acceperint: aut cùm nemo ſit alius, confiteantur ſe à diabolo accepiſſe, cuius ſunt partes interuertendi Veritatem,& ſenſum de ſenſibus, verba de verbis æmu-

æmulæ fidei attemperare. Fecit hoc olim, ſed & nunc; cùm etiam noſtrorum pleraque in idolorum myſteriis æmulatur: & ideò nec ab idololatriâ diſtare hæreſes iudicandæ, cùm & auctoris & operis eiuſdem ſint, cuius & idololatria: & ſanè omne mendacium quod de Deo dicitur, genus quodammodò quoddam idololatriæ eſt. Aut ſi à Diabolo non acceperũt, prodant, vti dixi, auctorem ſuum, à quo acceperunt. A Luthero? negat Caluinus, negat Menno. Verùm, vt concedant: à quo Lutherus? nimirum ab illo, quo cũ ſalis modium comedit. aut ſi non ab illo, à quo? Et vt nihil hîc de Caluino, de Mennone dicam; mentior, ſi non ab ipsâ Lutheri regulâ, à Scripturarum expoſitione, diſcipuli illius variant inter ſe, dum quiſque pro libidine ſuâ moderatur, quod accepit. nec mirum, cùm de ſuo etiam magiſter commentatus fuerit, quæ dedit. Iam quod licuit huic, cur non illis? innouare huic libuit; & quod retrò nuſquam fuit, tradere: innouare & illis libuit. Factum hoc olim, poſt Simonem Magum, à Menandro, Saturnino, Baſilide, aliiſq; compluribus, Nicolaitis, Ophitis, Cainęis, Setheïtis; qui omnes ex Euangelio venerunt, & in pugnãtes de vnâ Scripturâ expoſitiones iuerunt. Iam quem ex Lutheri diſcipulis, magiſtri ſenſum credam expreſſiſſe? Omnes ex-

numquam probare poterunt,aut tot ſæculorum ſcriptores excidiſſe à ſenſu vero, aut illum ignoraſſe. Iam à quo hic interpolator nouus interpolationem ſuam accepit? ab homine? à quo? Quod ſi neminem repererit; fateatur ſtylum ſe ſuum Scripturis, manum Veritati intuliſſe: imò & exertè & palàm machærâ vſum eſſe,ad aliam nobis Scripturam, quàm à Maioribus acceperamus,comparandum. Qui ſi Lutherus erit, apertè falce vſus eſt; ſi Caluinus, callidiore & quaſi ſub ſpongiâ nouaculâ; ſi Menno,plus etiam prioribus adiecit, plus abſtulit. Hæc non ego dico, ſed mutuò de ſe clarè & diſertè. Neque cogitationes hi ſuas ad Scripturam,ſed Scripturam ad cogitationes ſuas aptarunt; vt qui Virgilium ad ingenium ſuum concinnarunt: qui Fabulam ſuam ex Ouidio expreſſerunt: ita & Homero centonas vocare ſolemus,qui de carminibus Homeri proprium corpus ſarciunt. Et vbique fecundior diuina litteratura ad facultatem cuiuſque materiæ. Aut ergo ſinguli fateantur Scripturas ſe ad cogitationes ſuas traxiſſe, illarumque expoſitionem ad ſuam rapuiſſe materiam; aut aperiant nobis,à quo,& illam,& has acceperint: aut cùm nemo ſit alius, confiteantur ſe à diabolo accepiſſe, cuius ſunt partes interuertendi Veritatem,& ſenſum de ſenſibus,verba de verbis æmu-

æmulæ fidei attemperare. Fecit hoc olim, ſed & nunc; cùm etiam noſtrorum pleraque in idolorum myſteriis æmulatur: & ideò nec ab idololatriâ diſtare hæreſes iudicandæ, cùm & auctoris & operis eiuſdem ſint, cuius & idololatria: & ſanè omne mendacium quod de Deo dicitur, genus quodammodò quoddam idololatriæ eſt. Aut ſi à Diabolo non acceperũt, prodant, vti dixi, auctorem ſuum, à quo acceperunt. A Luthero? negat Caluinus, negat Menno. Verùm, vt concedant: à quo Lutherus? nimirum ab illo, quo cũ ſalis modium comedit. aut ſi non ab illo, à quo? Et vt nihil hîc de Caluino, de Mennone dicam; mentior, ſi non ab ipsâ Lutheri regulâ, à Scripturarum expoſitione, diſcipuli illius variant inter ſe, dum quiſque pro libidine ſuâ moderatur, quod accepit. nec mirum, cùm de ſuo etiam magiſter commentatus fuerit, quæ dedit. Iam quod licuit huic, cur non illis? innouare huic libuit; & quod retrò nuſquam fuit, tradere: innouare & illis libuit. Factum hoc olim, poſt Simonem Magum, à Menandro, Saturnino, Baſilide, aliiſq; compluribus, Nicolaitis, Ophitis, Cainęis, Setheïtis; qui omnes ex Euangelio venerunt, & in pugnãtes de vnâ Scripturâ expoſitiones iuerunt. Iam quem ex Lutheri diſcipulis, magiſtri ſenſum credam expreſſiſſe? Omnes ex-

preſſiſſe videri volunt: & cùm orbe toto diſſideant, omnes illius mentem efformaſſe ſe clamant. Verùm redeo ad Lutherum. à quo ille Scripturarum, quam adduxit, expoſitionem? Neminem reperio, niſi illum ipſum. aut aſſignet aliquando, à quo rediuiuus hic Stephanus, aut Paullus; à quo nouus Apoſtolus, tamquam Petrus, nouus legiſlator, tamquam Moſes, acceperit. Sed quæ mihi, quæ orbi apoſtolatus ſui documenta tradit Lutherus, quæ me cogant à Maiorum placitis, (eadem de Caluino & Mennone dicta volo) à tot ſęculorum conſenſione recedere? Video ad ſemicinctia Paulli, ad vmbram Petri, plurimos reualeſcere: video Ananiam, Saphiram, Elymàm Magum, morte, & cæcitate, in veræ fidei & doctrinæ teſtationem, percuſſos. video alterius Magi currum & quadrigas igneas Petri ore difflatas; illumq́; præſidentem, præfractis iacere cruribus. video Stephanum angelicũ faſtigium induiſſe, cùm denũtiaret ſtantem ad Patris dexteram legiſlatorem noſtrũ Chriſtum. Video Moſen, & ad huius dexteram cyniphes, locuſtas, ranas, ſanguinem, tenebras palpabiles, primogenitorum Ægypti mortem: video virgam imperãtem mari rubro: video hoc funditùs proſciſſum, pariq́ue vtrimque diſcriminis ſtupore fixum, ſiccoq́ue populum pede inte-

inteſtino itinere tranſmittentem, rurſuſque, ſub eiuſdem virgæ nutu, redeunte naturâ, Ægyptium exercitum vndarum concordiâ obruentem. Hæc video in delectu Moſis, noui Iſraëlis ductoris, ſenſuumque Domini denuntiatoris; ſed & mannæ eſcatilem pluuiam, & petræ aquatilem ſequelam in ducatus confirmationem. video & congreſſum Domini per nubem, & tabulas ſcriptas digito Dei. video denique Core, Dathan, & Abiron, refragatores Moſaici imperij, igne & hiatu terræ, in obedientię exemplum, percuſſos. etiam Ioſue qui ducturus erat Dei populum in promiſſionis terram melle & lacte fluentem, debellaturus Amorrhęos, ipſis elementis ſtationem imperat: *Steterúntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Oſtendant horum aliquid Lutherus, Caluinus, Menno. hoc enim modo ſolet Dominus, Apoſtolos, legiſlatores, aut populi ſui ductores facere. Nam quo ego modo prudēter aſſentiar Luthero, Caluino, Mennoni, credamque veram illos Scripturarum expoſitionem, ſenſumque illius verum, poſt tot ætatū tenebras denuntiaſſe? aut quibus illi mihi indiciis veram eſſe quam tradunt Scripturarum mentem probabunt?

Abeſt Succeſſio Epiſcoporum & ſacerdotum: de quâ Auguſtinus in pari cauſsâ con-

Aug. cont. Donatum. tra Donatum: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsâ Sede Petri; & in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſerit, videte. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* &: *Tenet me in Eccleſiâ, ab Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceßio Sacerdotum.* Tertullianus etiam propiùs: *Edant hæretici origines Eccleſiarum ſuarum: euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceßionem ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus, aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo Romanorum Eccleſia Clementem à Petro ordinatum refert.* Fortiter Cyprianus: *Nouatianus in Eccleſiâ non eſt, neque Epiſcopus computari poteſt, qui Apoſtolicâ traditione contemptâ nemini ſuccedens à ſeipſo ordinatus eſt.* Arbitreris in Lutherũ, Caluinum, Mennonem dicta. Euoluant nobis ordinem Epiſcoporum, & anteceſſorum ſuorum, ab Apoſtolis in hanc ætatem decurrẽtem: quos cùm non poſſint, fateantur ſe ex Cypriani mente in Eccleſiâ non eſſe.

Idem c. 4. contra ep. Fund.

Tertul. lib. De præſcr.

Cypr. lib. 1. Epiſt. 6. ad Magnum.

Abeſt Conſenſus retrò ſeculorum. de quo Tertullianus: *Quid veriſimile eſt, vt tot ac tanti in vnam fidem errauerint? aliquos nimirum Marcionitas & Valentinianos liberanda Veritas exſpectabat. intereà perperàm euangelizaba-*

Tertul. lib. De præſcr.

liʒabatur. Quod ille de duobus ſæculis, in Marcionem & Valentem; ego de quindecim in Lutherum, Caluinum, Mennonem: quò magis mirandum tot ſæculis Veritatem exſpectaſſe; tot & tantos in vnam fidem erraſſe.

Abeſt Membrorum cum Capite nexus. Hieronymus de hoc ad Damaſum: *Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt.* &: *Quicumque tecum non colligit, ſpargit.* Cathedræ illi Lutherus, Caluinus, Menno non iungũtur; nec cum ſucceſſore Petri colligunt; ſpargunt igitur Hieronymi iudicio. Hieron. de Hypoſt. nomine.

Abeſt Miraculorum gloria, ad fidem nouam, & tot inauditam ſæculis Scripturarum expoſitionem aſtruendam. Ita ipſe Dominus in nouæ fidei denuntiatione: *Euntes autem prædicate, dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum: infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite.* Et Paullus in virtute ſignorum & prodigiorum denuntiat Euangelium Chriſti. *Tametſi*, ait, *nihil ſum; ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in omni patientiâ, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.* &: *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum ab eis, qui audiuerunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis* Matth. 10. Ad Rõ. 15. 2. Cor. 12. Ad Heb. 2.

virtutibus,& Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem. Benè in hanc ſententiam Tertullianus : *Probent ſe nouos Apoſtolos,dicant Chriſtum iterùm deſcendiſſe, & dediſſe virtutem eadem ſigna faciendi. Volo igitur virtutes eorum proferre: niſi quòd agnoſco maximam virtutem eorum, quâ Apoſtolos in peruerſum æmulantur; illi enim mortuos ſuſcitabant,iſti de viuis mortuos faciunt.* Non tibi hæc de Caluino ſcripta?

Tertul.lib. De præſcr.

Et ipſe Dominus tot antè vaticiniis denuntiatus, cùm fidem terris infert nouam, à portentis & miraculis initium ducit; ac ſtabiliendæ fidei,fundamenta in his iacit.& me vis Luthero, Càluino,Mennoni credere,nihil aliud adducẽtibus,quàm veram ſe fidem, Euangelium verũ tradere? Eadem dicit Seruetus, Zuinglius, Dauid Georgius, Munzerus, Theodorus Sartor, Hermannus Sutor, Henricus Nicolai, aliique plures. Cui ergo potiſſimùm aſſentiar? aut è cuius manu Euangelium accipiam? Omnes eadem de ſuo teſtantur,à Spiritu ſancto eſſe,à Deo eſſe:non aliud eſſe, quàm quod Apoſtoli nationibus conſignarunt.Quid ego hîc?aut quò flectam hanc fidei meæ nauem, in tanto turbine pugnantium ventorum? quem portum, aut cuius deligam? Omnes ad ſtationem ſuam prouocant,tamquam fidam, tamquam cælo deſigna-

deſignatam ; omnes ſeriò monent,

Heu fuge crudeles terras. ——

in tanto ad ſe pellicentium reliquoſq; damnantium numero, quò vela vertam? aut cur in hanc potiùs quàm illam partem? Quidquid ſinguli pro ſtationis ſuæ ſecuritate proferunt, idem reliqui: cur proinde in hanc magis quàm in illam curſum dirigam in tantâ ſacratioris aſſeuerationis parilitate? Ad omnes non poſſum; neque eodem tempore anchoram hanc firmare in aduerſantibus. in quâ ergo? Lutheri? Caluini? Mennonis? Quid pro Euangelio ſuo adfert Lutherus, quod non pari contentione adducat Caluinus, pari per omnia Menno, pari reliqui? aut edant mihi ſigna Apoſtolicæ huius doctrinæ, quibus non imprudens aſſentiar: edant aliquam præter hanc vnam; Lutherus doctrinam ſuam dicit Apoſtolicam, ergo Apoſtolica eſt. Eadem Caluinus, eadem Menno dicit: ſinguli ſuam volunt Apoſtolicam, nec aliam quàm ſuam. Si ad veritatem ſatis eſt affirmaſſe, Mahumetus ſuam è cælo, Iaponij ſuam, ſuam magnus Mogor, magnuſque Cham ſuam, ſuam reliqui, Perſa, Moſchus, Scytha, Maſſageta, & tot nomina per orbem diffuſa; ſinguli ergo ſuam à cælo, à vero Deo mutuati ſunt? Et ne extra Euangelium procurram, Mōtanus, Ebion, Neſtorius, Arrius,

Manichæus, Vigilantius, Pelagius, Donatus, Eunomius, Eutyches, Euangelium, doctrinam ſuam, de Apoſtolicâ penu eſſe volunt: idem inclamant VValdenſes, Huſſitæ, Albigenſes, & quotquot hoc ſecundum portentorum ſæculum protruſit: nec aliud ad Veritatem ſtabiliendam, ab his, adferunt Lutherus, Caluinus, Menno, deſtituti omnibus Apoſtolicæ doctrinæ teſtatiſſimis ſignis. Quocumque enim oculos circumfero, video illos maiorum fidem truncaſſe ſęcuribus: video auis, proauis, omniq́ue antiquitati renuntiaſſe; vt extremiſſimi iam illorum, necdum ſæculum vnum expleuerint. Reſerate, ſi lubet, omnium gentium archiua, Imperiiq́ue Romani, Græci, Gallici, Germanici vernaculos vindices; numquam illi fidem ſuam de retroſiore ſęculo aſſerere, numquam doctrinam ſuam poterunt. quidquid enim dixerint, quidquid in fidei ſuæ confirmationem attulerint, de nouitiolâ aliquâ paraturâ erit: de Lutheri nimirum, Caluini, Mennonis. De quorum adulteris opinationibus, diſcipuli ipſorum, incertos, varios, & inextricabiles tramites ſciderũt. Superfruticat Caluinus Luthero: & inſolenti Caluinianæ doctrinæ, ſuperſeminat Menno: exinde, pro numero capitum, tot opinionum palæſtræ, tot pugnantium quæſtionum propagines, tot æmula-

æmulationum implicationes, vt antè propè numeres homines, quàm ſententias. Sparſerat Lutherus ſemina; huius ſeminis frutices inoculauerat Caluinus; germina inflauerat Menno; flore veſtierat ſuo Henricus Nicolai: ſinguli denique de ſuo aliquid contulerant, ſiue in illius corniculæ decorem, ſiue vt patrem ornamento transferrent, ſobolemq; ſuam facerent, peritiſſimi ſtructores, cùm puderet alterius: pulchrum nimirum erat nomen huic genituræ dare, turpe ab alieno mutuari. Neque tu mihi hîc cogites rem vnam, tamquam mulierem vnam luminibus ornatam gemmarũ, quibus capilli ſplendeant; Indici maris piſcationibus, quibus ceruix eluceat; draconum monilibus, quibus aures forentur; circulis aureis, quibus brachia arctentur; concharum alueis, quibus lana incoquatur, quæ nullum cùm pudorem tegat, de proximo curat luxuriæ negotium; nigro puluere, quo oculorum exordia producantur: non hîc, inquam, rem vnam de raritate, de ingeniorum peregrinitate ornatam; ſed aliam atque aliam cogita, aduerſantibus ſtructam, & quæ ad bella magis quàm ad decorem compoſita. Hæc ergo paratura talis, tot diſſentientibus firmata, qualis erit? Sanè vel ætate ſolâ, vt reliqua taceam, præiudicabitur; & quod poſterius eſt, de vitiatitio reuincetur:

tur: noſtram autem eſſe omnem antiquitatem, nemo prudens dubitare poteſt. Peregrinemur, ſi placet, per hiſtorias, & orbis litteras; Græcorum etiam cenſuales conferamus, temporum concatenationes aperiamus, per quæ luceant annalium numeri: noſtri ſunt, quotquot cum Apoſtolis, Apoſtolorumque ſucceſſoribus, in doctrinæ vnitatem conſpirarunt. Percurramus ætates ſingulas, recenſeamus Eccleſias; videbimus inuicē de Sacramentorū & Fidei ſocietate cōfœderatas. Habemus Romanā Petri & Paulli ſanguine ſignatā; habemus Dionyſij, Materni, Seruatij, Hilarij, Martini, Remigij, Amandi, alumnas Eccleſias: habemus reliquorum propè Apoſtolicorū diſcipulorū hereditarios ſucceſſores, qui Apoſtolorum veſtigiis complanatum Euangelij ſenſum, in hanc, quam tenemus, tranſmiſerunt ætatem. Hoc teſtimonium Veritati eſt. hæc regula, à quâ mutuamus fidem. in hac nullas opinionum varietates reperies, niſi quas hæreſes inſerunt, & quæ Hæreticos faciunt. ſtetitque hæc concors Apoſtolorum doctrinæ traditio; nec antè, diuerſum & æmulum ab Apoſtolorū, factum eſt Euāgelium in Germaniâ, Galliâ, Angliâ, Scotiâ, Hiberniâ, Belgio, quàm Lutherus, Caluinus, Menno, manus intulerunt. Hi duces, Dædali, hi demiurgi figulationis nouæ:
ſub

ſub horum malleo & incude nupera hæc & nouitia ſudauit commentatio.

Noſtri ſunt, quotquot ſub Neroniano, Diocletianeo, Deciano, reliquorumque Imperatorum gladio, pro Chriſto, pro Euangelicâ Veritate ceciderunt: noſtri tot iuſti impenſi, tot innocentes erogati; tot vltrò erumpentes, prouocantes, ſanguineque ſuo, tamquam ſemine, Dominicum agrum fecundantes: noſtri quotquot tot ſæculis martyrij renati ſunt generoſitate. Hinc Tribunorum, Prætorum, Proconſulum, Regum tribunalia, hinc Cæſarum in noſtros decreta. de noſtris metalla & marmora ſuſpirarunt, æſtuarunt carceres, beſtiæ ſaginatæ ſunt, in Apoſtolicæ fidei teſtationem. noſtri etenim ſunt, Torpes, Euellius, Leontius, Celſus, Euodius, Nereus, Achilleus, Euſtachius, Eleutherius, Fauſtinus, Iouita, Vitalis, Agricola, Pontianus, Apollonius, Chryſanthus, Daria, Epimachius, Abdon, Sennes, Coſmas, Damianus, Sebaſtianus, Laurentius, Vincentius, Tiburtius, Valerianus, Geruaſius, Protaſius, Modeſtus, Vitus, Gordianus, Ruſticus, Caſſianus, Gereon, Mauritius, ſociique.

Veſtri nullũ Cæſarianum gladium cruentarunt; nullum axem, nullum ſtipitem veſtiuerunt; nulla marmora, nulla metalla fatigarunt; nullum ignem ſanguine reſtinxerũt.

neque

neque enim ſub illo perſecutore ferro, cæde è ſæuiſſimis Imperatorum placitis vniuerſum orbem inambulante, Lutherani, Caluiniani, Mennoniani ceruices flexerunt: cùm vix duodecim ſęculis pòſt, Lutherum VVittenberga, Caluinum Gebenna, Friſia Mennonem dederit, infelicis Germanici Gallicíque ſoli venenaria germina, ſpuria Eccleſiæ vitulamina.

Noſtri ſunt etiam, qui perpetuâ morum integritate & eruditionis prærogatiuâ clariſſimi, Chriſtianæ Reip. gubernacula, iam inde ab Apoſtolorum temporibus, felici ſerie tenuerunt. Noſtri, Ignatius Antiochenus, Quadratus Athenienſiũ, Polycarpus Smyrnorum, Babylas Antiochenus, Cyrillus Cortinę, Gregorius Neocæſareę, Petrus, Alexander, Athanaſius Alexandrinorum; Paullus, Nectarius Conſtantinopolitanorum; Baſilius, Helladius Cæſareæ; Gregorij Nazianzenus & Nyſſenus, Chryſoſtomus, Germanus, Taraſius Conſtantinopolitani: & è Latinis, Valerius Treuirenſis, Apollinaris Rauennatum, Clemens Romanus, Eugenius Toletanus, Martialis Lemouicẽſis, Maternus Treuirenſis, Martianus & Marcellinus Rauẽnatum, Irenæus Lugdunenſis, Cyprianus Carthaginenſis, Fructuoſus Tarraconenſis, Liborius Cenomanenſis, Ambroſius Mediolanen-

lanenſis, Lupus Trecenſis, Auguſtinus Hipponenſis, Paullinus Nolanus, Iſidorus Cordubéſis, Chryſologus Rauennatum, Eucherius Lugdunenſis, Proſper Regienſis, Eugenius Carthaginenſis, Victor Vticenſis, Honoratus Arelatenſis, Fulgentius Ruſpenſis, Vedaſtus Atrebatenſis, Leander Hiſpalenſis, Amandus Traiectenſis, Hildefonſus Toletanus, Iſidorus Hiſpalenſis, Rabanus Moguntinus, Rembertus Hamburgenſis, Vdalricus Auguſtanus, Anſelmus Cantuarienſis, Iuo Carnotenſis.

Vos vnum mihi Epiſcopum ex omni memoriâ, qui ante annum milleſimum, quingenteſimum, decimum ſeptimum, eadé quæ Lutherus, quæ Caluinus, quæ Menno ſenſerit, docuerit: vnum qui in omnibus eadem, qui fidem eamdem.

Noſtri deinde ſunt, qui omni ſæculo, variâ litteraturâ nobiles, orbem colluſtrarunt: Dionyſius, Prochorus, Iuſtinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Ephræm, Cyrillus Ieroſolymitanus, Epiphanius, Syneſius, Proclus, Cyrillus Alexandrinus, Peluſiota, Theodoretus, Baſilius Seleucius, Andreas Cæſarienſis, Æneas & Procopius Gazæi, Andreas Cretenſis, Maximus Monachus, Thalaſſius, Damaſcenus, Simeon Metaphraſtes, Euthymius. è Latinis verò Minutius

tius Felix, Zeno Veronenſis, Arnobius, Iuuencus, Lactâtius, Oſius, Damaſus, Prudentius, Optatus Mileuitanus, Chromatius, Hieronymus, Gaudentius, Seuerus Sulpitius, Vincentius Lyrinenſis, Caſſianus, Leo Romanus, Claudius Victor, Saluianus, Sidonius Apollinaris, Paſchaſius Diaconus, Hormiſda, Primaſius, Arator, Caſſiodorus, Fortunatus, Beda, Alcuinus, Haymo, Hincmarus, Remigius Antiſiodorẽſis, Regino Prumienſis, Berno Augienſis, Rupertus Tuitienſis, Hugo Victorinus, Petrus Lombardus, Conradus, Albertus Magnus, Aquinas, Bonauentura, Lyranus, Iuſtinianus.

Vnum hîc vos ex omni antiquitate, eruditione clarum veſtrũ, vnum Lutheranum, vnum Caluinianum, Mennonianum vnum: vnum toto orbe; orbe toto vnum.

Age nunc, ad curioſitatem omnem explendam, in hac verę fidei diſquiſitione, percurre regnorum & prouinciarum Eccleſias, apud quas Apoſtolorum, aut horum ſucceſſorum cathedræ, de veteri memoriâ ſpirant, repræſentantes primam Eccleſiæ & Fidei faciem, nullo in parentibus ſuis hæretico puluere vitiatam. Proximè nobis eſt Belgium. noſtri in hoc ſunt Memmius, Quintinus, Rufinus, Criſpinus, Criſpinianus, Fuſcianus, Victoricus, Piato, Vedaſtus, Audomarus, Gauge-

Gaugericus, Florebertus, Vrſmarus, Erminus, VVillebrordus, Bertulphus, Humbertus, Maurontus, VVerentfredus, Luitbertus.

Si non longè eas, habes in Angliâ, Scotiâ, Hiberniâ, noſtros: Ioſephum, Ariſtobulum, Fagatium, Damianum, Auguſtinum, Mellitum, Iuſtum, Laurentium, Palladium, Columbanum, Herbertum, Patricium.

Habes in Galliâ. Noſtri enim, Areopagita, Fronto, Regulus, Xiſtus, Siſinnius, Zacharias, Vrſinus, Trophimus, Eutropius, Exuperius, Manſuetus, Lucianus, Felix, Nicaſius, Rufus, Sauinianus, Sanctinus, Iulianus, Vrbicus, Saturninus, Gratianus, Amatus.

Si Germaniam cogitas; noſtri, Eucharius, Andronicus, Valerius, Bonifacius, VVillebaldus, Ludgerus, Soſimus, Burchardus, Hildegernus, Deuſdedit, Rudpertus, VVilfridus, VVillehadus, VVulfranus.

Si Ruſſiam, Pruteniam, Pannoniam, Liuoniam, Hyrcaniam, Dalmatiã, Bulgariam, Scythiã, Gothiam; noſtri, Adelbertus, Anſgarius, Magnus, Othomarus, Medardus, Albertus, Andronicus, Hermes, Ioannicius, Theotimus, Tomitanus, Vlphila.

Si Italiam, cui totam Chriſti doctrinam, Apoſtoli cũ ſanguine ſuo profuderunt; ſi Siciliam, Cretam, Cyprum; noſtros reperies, Hermagoram, Syrum, Proſdocimũ, Aſpre-

num,Priſcum, Victorinum,Geruaſium,Protaſium, Apollinarem, Pancratium, Titum, Marcianum, Nicanorem.

Si Hiſpaniam; noſtri ſunt, Eugenius, Torquatus, Cteſiphon, Secundus, Indalicius, Cæcilius, Heſychius, Epænetus.

Flecte dehinc oculos ad Africam; noſtri, Lucius, Creſcens, Donatianus, Præſidius, Manſuetus, Tuſculus, Lætus, Fraxinianus.

Iam Aſia vniuerſa, quid hauſerit, quid acceperit videamus. Noſtri in hac ſunt, Euodius, Abilius, Calliſtus, Polymius, Quartus, Fuluianus, Carpus, Meropius, Metrodorus, Frumentius, Adeſius, Marutha, Abda, Iacobus Niſibinus.

In his omnibus gloriamur; & ab his fidem, nullis adulterinarũ matrũ vberibus lacteſcẽtem, ſuximus. Oppone his vbera tua, obſtetricãte Luthero, Caluino, Mennone, de nouitate ſpuriâ, de varietate adulterâ; & agnoſce in nobis Apoſtolicã fidem hereditariis tabulis tranſſcriptã: agnoſce Apoſtolicarum in nobis Eccleſiarũ ſoboles, cùm ad originẽ nos deduxeris. Vide vnitatẽ, ac, auſim dicere, pręiudicantẽ de veritate, cùm tot, & tantæ, iam inde à primordio ſui, in vnâ hoſpitalitatis, fraternitatis, pacis, ſacramentorum, doctrinæ communicant vnitate. Ab hac degeneraſſe primos inſtitutores tuos, ab ipsâ diuerſitate

compe-

comperies, adulterumque ſtylum intuliſſe; cùm alium intulerint, quàm à principio Eccleſiæ à parentibus ſuis acceperint.

Venio ad illos, qui prophetiæ ſpiritu inundati, qui vitæ ſanctimoniâ clari; qui diſperſi, qui vagabundi, patriique ſoli extorres: quibus æternitatis candidatis, olim pro puluere, vnguenti iucunditatem; pro ſpiritu tædij, habitum exultationis; & Sionis gloriam, pro luctu repromiſerat Dominus. Hi ſunt, qui potum fletu, panem cinere miſcuerunt, gulam Deo ſuo mactantes: hi, qui animâ ſuam, victus caſtigatione, Deo immolarunt; abſtinentes vino, animalibus exulantes, leguminumque pabulo, & aquæ potu, carni frenos induentes: quibus pro ſæculi dedecorationibus merces plurima eſt in cælo. Ex his, noſtri ſunt, Paullus, Antonius, Hilarion, Macarius, Iſidorus, Heraclides, Stylites, Paphnutius, Arſenius, Theodorus, Daniel, Benedictus, Maurus, Placidus, Bauo, Columbanus, Eligius, Damaſcenus, Theophanes, Othmarus, Nicetas, Adelhardus, Meinardus, Odo, Nortbertus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus.

Vnum mihi ex omni Lutheri, Caluini, Mennonis ſcholâ, ſanctimoniâ clarũ; vnum reciſi pabuli, & vltroneâ conquaſſatum circumciſi cibi anguſtiâ; vnum aridum, & ſolâ

cute loricatum; vnum legumine & aquâ contentum. Vis non meum ſed mutuum tuorum ſenſum? Ordior à Luthero: *Videmus quòd hoc tempore homines ſint multò peiores, truculentiores, tenaciores, libidinoſiores, quàm anteà vmquam in papatu fuerant.* Fortiùs etiam: *Noſtrorum pleroſque ſepticeps ille diabolus inuaſit; & deteriores effecit, quàm in papatu fuerant.* Etiam explicatiùs: *Ab eo tempore quo primùm pura Euangelij doctrina in lucem eſt reuocata, mundus de die in diem deterior euaſit: Chriſtianâ libertate quilibet ad libitum abutitur, non ſecùs ac ſi cuilibet, quod libet, conceſſum ſit.* Et de omni Lutheri ſobole Muſculus: *Cum nobis Lutheranis hoc tempore ita agitur, vt ſi quis videre volet ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium impoſtorū, fœneratorum, ciuitatem aliquam adeat, in quâ Euangelium purè (*Lutheranè*) prædicatur; cateruatim tales ibi repperiet. Nam meridianâ luce clarius eſt, quòd hominum effrenatorum & indomitorum, apud quos omnis virtus & honeſtas penitus extincta eſt, & apud quos pro peccato nihil reputatur, nuſquam plures, ne quidem apud Ethnicos, Turcas, & alios infideles, quàm apud Euangelicos, apud quos omnia frena diabolo laxata ſunt, reperiantur.* Benè in hanc rem Spangenbergius: *Poſtquam homines à vinculis*

In Poſtillâ Dominicâ 1. Aduent.

Præfatione in Eccleſiaſticam Poſtillam.

In Sermonib. conuiualib. Ger. fol. 55.

Dominicâ 1. Aduent.

culis papatus ſe liberos eſſe vident, volunt etiam eſſe liberi & ſoluti ab Euangelio, & à præceptis Dei; & volunt, vt deinceps rectum & iuſtum ſit, quicquid vnicuique viſum fuerit. Benè Fiberus: *Effrenem contumeliam adoleſcenti, omnia conuitia pleno copiæ cornu effundi, & vberes fructus ferre. quæ mala cùm quiſque propriis oculis intuetur, meritò dubitat, an noſter Euangelicus cœtus vera ſit Eccleſia, in quâ tot ſunt ſchiſmata & diſſidia, in quâ tot enormia vitia conſpiciuntur.* Et ſuos Caluinus ait, *omnium mortalium eſſe ſceleratiſſimos & facinoroſiſſimos:* & cùm verba illorum ſceleribus ſatis congrua inuenire non poſſet, *tetra monſtra, & malos genios humanam formam indutos* appellat. De Mennoniſtis quid dicam! ô ſancta Eleuſinia, caſtus Apuleius, continens Petronius, modeſta Baubo, præ illis ſordibus! ô mitia Diomedis præſepia, Buſiridis buſtuaria altaria, ſi cum Monaſterienſi, VVeſtphalico noui Iſraëlis imperio, conferantur! Hæc eſt noui Euangelij ſanctitas. In quo vnum mihi ſemper venit admirari, ex omni Lutheri, Caluini, Mennonis diſciplinatu, nec vnum reperiri, qui Dominicum conſilium, adoleſcenti ſtudioſiùs de perfectione quærenti, ſecutus ſit: *Omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus; & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me.*

In narratione beneficioru Dei.

In Præfat. comment. Philippi in Epiſt. ad Corinth.

Concione 10. Gallicè ſcriptâ in Epiſt. ad Epheſ.

Lucæ 18. Mar. 10.

Quis enim vltroneam apud vos paupertatem præ opibus delegit? quis cùm poſſet diffluere diuitiis, nudus nudū ſecutus eſt Chriſtum? apud quem faſtidium opulentiæ, & detruncatam omnem etiam diuitiarū ſpem reperies? denique quis ſecutus conſilium Domini, quæcumque habuit vendidit, pauperibus dedit; & cum Petro potuit dicere: *Ecce nos dimiſimus omnia, & ſequuti ſumus te?* Vnum tu mihi, vnum deſigna, ex omni cœtu veſtro, in reuocati, vt vultis, Euangelij luce, magnorum horum Euangelicorum conſiliorum, & exemplorum generoſum imitatorem. Apud nos millia reperies, qui paupertate ſe ſubleuant, ne ſub diuitiarum onere ſuſpirent. qui eò feliciores ſe arbitrantur in hoc itinere, quò incedunt leuiores: qui contemnere malunt opes, quàm continere, cùm poſſint; imò qui è ſummis opibus, paupertatem indixerunt ſibi, Chriſti veſtigiis & monitis laudatam.

Lucæ 18.

Tranſeo ad Virgines, Euangelij veſtri naufragium; oculorum trabem, extriti pudoris & verecundiæ veſtræ cauterium: Euangelij verò noſtri gloriam. Noſtræ ſunt quæ nubere neſciunt: quaſi perpetuâ carnis obliuione ad paradiſi iam habitum adlectas arbitrere: noſtræ, quæ de caſtimoniâ, quæ de integritate cenſentur: noſtræ, quæ faciem frugi, quæ oculos

oculos condignos diuinæ diſciplinæ, arctiſſimâ manciparunt cuſtodiâ: quæ nullo habitus irritamento virorum ſtuporem ędificant; ſed virginem ſuam exornatam, & quaſi naufragam, laſciuiæ ſubduxerunt. nullos in his ſaltus & inſulas ceruix tulit; nullæ aures kalendarium expenderunt; nulli digiti prædia & prouincias prætulerunt; nulla hîc de draconum frontibus, piſcium cerebris, cultior lapidoſitas; nullæ concharum verrucæ, quæ auro lenocinium mutuum præſtent, & baiulam ſuam proſtituant; tot cælo ſcandala iaculatæ, quot oculos vulnerauerint. Denique noſtræ ſunt, quę Apoſtoli exemplum & monita ſequutæ, nullum virum norunt præter Chriſtum, cui maturitatem ſuam ſponſarunt; & in cuius voluntatem totæ conceſſerunt, ſoli Deo notæ; adeoq; vniuerſim compoſitæ, vt nec alienos admittant, nec ſuos emittant oculos, ſoli libidini cæcæ. hæ noſtræ. Noſtra eſt Thecla, Priſca, Domitilla, Praxedes, Pudentiana, Cæcilia, Apollonia, Anatolia, Victoria, Agàtha, Rufina, Secunda, Maxima, Donatilla, Eugenia, Columba, Iuliana, Suſanna, Chriſtina, Iuſtina, Lucia, Eulalia, Emerentiana, Dorothea, Catharina, Barbara, Margarita.

Noſtræ, quæ vniuiratus gloriâ noſcibiles, Sophia, Felicitas, Symphoroſa, Præpedigna,

Theodata, Anaſtaſia, Monica, Paulla, Marcella, ſecundas nuptias ignorarunt. apud vos nullam in hanc diem conſeruatricem caſtitatis, erogatrices plurimas reperio. Fallor? vnam ergo tu ex omni cœtu veſtro, quæ virginem ſuam Chriſto maritauerit: quæ collactaneam carnem ſpiritu edomuerit, non iam per ſanguinum, ſed caſtimoniæ pacta. vnam quæ ſponſam carnem, Chriſto ſponſo ſuo ſponſatam, ſequeſtrauit ab omni comparis complexu, ſoli Chriſto noſcibilis. Video mœchas & inceſtuoſas: video ſanctas fornicarias. Nec mirum hoc cuiquam videri debet, qui viderit primum Euangelij noui ductorem, à Veſtali poſſeſſum, ancillæ mancipatum; totieſque nubentem, quoties abnuit vxor: exinde iam tradux proficit inceſti, ſerpente cum doctrinâ ſcelere: qui viderit alterum (leuia iam Samothracia & Cypria ſunt) à theatro maſculo (monſtra narro non delicta) in omnem libidinem ebullientem: qui tertium (caſtus Iuppiter, Apollo caſtus præ hoc funambulo quadrigario) ab omni feminâ Euangelium auſpicatum: nec potuit aliter: totum enim apud eos domicilium interioris hominis, eſcis ſtipatum, vinis inundatum reperies: an non laſciuiis inæſtuet? Conſule Lutherum, quis apud eum ſanctior? qui obſonandi nimirum pollucibilior, qui calici-

bus

bus inſtructior. Audi ipſum Lutherum: *Nos Germani ingurgitamus nos potandò ad paupertatem, mortem, & infernum vſque.* &: *Ego Martinus Lutherus vix vllam conſolationem ex morte & reſurrectione Chriſti capere poſſum; bonis autem corporalibus à Deo acceptis, vt edere panem, & bibere cereuiſiam, optimè poſſum.* Vis continentiam? *Si alter alteri ſeipſum ſubtrahat, hic locus eſt vt vir dicat: Si tu non vis, velit alia: ſi non vult vxor, veniat ancilla. duc Estheram, & dimitte Vaſthi, quemadmodũ rex Aſſuerus fecit.* &: *Vt nemo poteſt cibo & potu carere, ſic fieri nequit, vt aliquis à muliere abſtineat.* Præfatione verò in Oeconomiam Menij: *Quemadmodum grauiter & ſeuerè præcepit Deus; Non occides, Non mœchaberis: eodem modo, & multo magis præceptum eſt, Vxorem duces: Maritum accipies.* Denique: *Sufficit quòd agnouimus diuitias gloriæ Dei, agnum qui tollit peccata mundi: ab hoc non auellet nos peccatum, etiamſi millies vno die fornicemur aut occidamus.*

In Colloq. Latinis tomo I. cap. De ebrietate. Capite De Chriſtianis

Lib. De vitâ cõiugali.

In Colloq. German. cap. De matrimon.

Tom I. Epiſtolar. Latinar. fol. 345.

Noſtri ſunt, qui dæmoniacos expiarunt; cæcos reluminarunt; claudos & paralyticos redintegrarunt; leproſos purgarunt; mortuos vitæ reddiderunt: quibus elementa famulata, maria & flumina exancillata ſunt. Poſt tot ergo documenta Chriſtianę religionis tot ſæculis edita, quæ edi non potuiſſent ſine

Euangelij veritate, quid dubitamus? Atqui patratores horũ omniũ noſtri ſunt: Eleutherius, Narciſſus, Thaumaturgus, Romanus, Albanus, Hilarius, Martinus, Thalaſſius, Maximus, Mamertus, Patricius, Remigius, Proculus, Amantius, Arnulphus, Eligius, Florentius, Erhardus, Marcellinus, Rumoldus, Dunſtanus, Volco.

Apud vos verò, nullos lego, niſi viuorum auocatores; nullos ne verrucarum quidem auerruncatores. Aut vnum ex omni numero adducito è Lutheri, Caluini, Mẽnonis ſcholâ. Fruſtrà hæc: nam & Irenæus olim: *Hæretici neque cæcis poſſunt donare viſum; neque ſurdis auditum; neque omnes dæmones effugare, præter illos, qui ab ipſis immittuntur: ſi tamen & hoc faciunt: neque debiles, & claudos, aut paralyticos curare; vel aliâ quadam parte corporis vexatos: tantum abſunt, vt mortuum excitent.* Et propiùs etiam de veſtris, noui ætatis noſtræ Euangelij præconibus, Roterodamus: *Apoſtoli quoniam excutiebant viperas, ſanabant ægrotos, excitabant mortuos, impoſitâ manu dabant dona linguarum, ita demum creditum eſt, & vix creditum eſt illis, paradoxa docentibus. Nunc cùm iuxta communem opinionem adferant paradoxotera, nullus illorum adhuc exſtitit qui vel equum claudum ſanare potuerit.*

Lib. 2. c. 36

In oratione De libero arbitrio.

Noſtra

Noſtra demum (vt à ſingulis tranſeam ad vniuerſos, in quibus claudam hoc caput) ſunt Concilia.

Nicenum, contra Arium, ſub Silueſtro, trecentorum & quod excurrit Patrum, omniiugâ eruditione clariſſimorũ, nobilitatum. Anno 325.

Conſtantinopolitanũm ſub Damaſo. centum in hoc ſupra quinquaginta, reconditiori omnes Scripturarum ſcientiâ diuitiſſimi, & damnatæ Macedonianæ impietatis clariſſimi. Anno 381.

Epheſinum ſub Cæleſtino, ducentorum, quà litterarum quà vitæ ſanctimoniâ ſpectatiſſimorum; ac Neſtorij in primis damnatione celeberrimum. Anno 434.

Chalcedonenſe ſub Leone. triginta hìc & ſexcentorum Patrum, de ſtudiorum deq; ingenij parilitate, ad inuidiam exempli, & poſteritatis memoriam, maximorum, concordibus ſententiis Eutyches & Dioſcorus damnati. Anno 454.

Conſtantinopolitanum alterum ſub Vigilio. in quo centum quinque & ſexaginta Patres, non cunctim modò & coaceruatim omnes, ſed ſingillatim & diſcretim ſinguli rarâ doctrinæ elegantiâ, Anthimi & Theodori proſcriptione nobiles. Anno 553.

Opponite his, & Romanæ Orthodoxæ Apoſtolicæ Eccleſiæ propugnatoribus ſuprà recen-

Digitized by Google

recenſitis, meras paucaſque rupinas, & ſenticeta miſeri veſtra: quis fructus, aut in nouitiis teſquis veſtris elegantia, præ tantorum meraciſſimarum ſcientiarum fontium diuite fluore? componite cum his auri fluentis, cum hac cinnamomi, eboris, & gemmarum ſtrue, animorum dico, & altioris eruditionis, tuguria & mapalia veſtra. conferte veſtros æmulo liuore luteos, ac perſolos propè Grammaticæ cāpos, ſcrupoſos, rareq; ſparſos; cum his noſtris digniſſimis omnino, propter quos ſingulos (vt eſt Tullianum) Theſpiæ viſantur, orbiſque inambuletur totus. Et ne breuitatis, quos miltimet præſcripſi, limites trāſgrediar: quis omni memoriâ ex Eccleſię perduellibus, ex veſtris, aſſurgit vt Dionyſius; philoſophatur vt Iuſtinus, vt Athenagoras; ſuadet vt Minutius, diſſuadet vt Arnobius? quis reſiſtit vt Athanaſius, premit vt Hilarius, ferit vt Hieronymus, vernat vt Lactantius, vincit vt Auguſtinus, triumphat vt Ambroſius, influit vt Paullinus, aſſurgit vt Leo? quis ſtringit vt Baſilius, fluit vt Chryſoſtomus, docet vt Nazianzenus, pugnat vt Cyprianus? quis variegatur vt Alexandrinus, ſuccingítur vt Cyrillus? Denique omnes, adeò omniſciâ eruditione varij, vt propè ignores quem cui in quo genere anteferas. Si dictionem ſpectes Latiam, nec Romam
ſic

ſic Romanè; ſi Græcam, nec Athenas ſic Atticè; denique nec Muſas ſic Muſicè locutas arbitrabere: ſi Philoſophiam, Theologiam, Sacrarumq; cognitionem litterarum, videas ſingulos non ſuo, ſed altioris ſpiritus ore locutos. Componite his Grammaticos veſtros pluteos; componite omnis maledicẽtiæ concinnatores, qui de ſublimiore ſuggeſtu, hircino barbitio Philoſophos imitati, nihil prę ter petulantes & infrenes linguas, deque lupanari voces in ſubiectam deuomunt concionem. magni viri, ſi infauſta in Orthodoxos vota iaculati, iocis ſcurrilibus Romanum nomen proſciderint. Hos ego tam improbos dictis, quî credam probos moribus? Si Philoſophiam quæris, reperies ſtatuas; ſi Theologiā, cochleas; ſi Scripturarũ cognitionem, plumbeos; ſi reliqua, Latinitatis aliquam aſperginem. Hæc veſtri. omnes, omni in ſcientiâ, tamquam è torculari muſtei; omnes de nouitio ſemine frutices, de zizaniorum ſeminatore ſpurię ſegetes, nec alteri quàm igni valiturę, in die Domini magno.

Et ego poſt hæc fidem veſtram credam Apoſtolicam? credam hanc fidei paleam, Saxonico, Lemannico, Friſio afflatu excuſſam, Apoſtolicam eſſe: credam Euangelium, in tot capita à vobis multipartitum, in tantâ ſectarum varietate Apoſtolicum, & à Spiritu

ſancto

ſancto eſſe? credam Veritati deputandam, quæ cum nullâ originalis fidei Eccleſiâ conſpirat? & credam quia me vultis credere? nullum ante Lutherum, auctorem, anteceſſorem nouitiæ huius fidei nullum proditis; & tamen credam? imò ſi hæc credam, non inſanire me,

Non medici credes, non curatoris egere
A Prætore dati?

CAPVT III.

Opinionibus inter ſe contrarij.

Opinionum contrarietate, Apoſtolicæ Fidei præcones, Lutherus, Caluinus, Menno reliquiq; Anabaptiſtæ haberi non poſſunt.

VNA Fides fuit Apoſtolorum, quam nationibus promulgarũt: vna fuit, numquam diuerſa. Vt vnus Deus, numquam duo, numquam plures: ita fides vna, & vna tantùm. nec poteſt ſub vno Deo, opinionum in fidei capitibus eſſe diuerſitas: mentiri Deus neſcit: pugnantia ab vno Veritatis ore non manant. illic ergo Veritatis adulteratio deputanda eſt, vbi doctrinæ diuerſitas reperitur: hanc reperiri norunt omnes, quicumque Lutheranos, Caluiniſtas, Anabaptiſtas norunt. Mentior, ſi non diuer-

Digitized by Google

diuerſitas reperitur, ſi non in Fidei regulis variant: ſi non mutuò aduerſantur, dum vnuſquiſque ſuo arbitrio æmulatur quod excogitauit; & quod excogitauit tradidit, tãquàm à Veritatis calamo acceptum. at Veritas vna eſt, mentiri neſcit. neque ab vno ore veniunt,

Duas in Chriſto eſſe perſonas, vniones hypoſtaticas duas; & vnam tantùm.

Caluin Inſtit. l. 1. c. 13. §. 9. 23. Luth. in Colloq. Montisb. c. 13. §. 9.

Chriſtum non pro omnibus, ſed mortuum pro electis tantùm; & mortuum pro omnibus.

Beza in Colloq. Montisb. pag. 546. Schluſſel. Theol. Calu. l. 1. c. 6.

Chriſtum ante diuam Matrem hominem extitiſſe, corpúſque etiam Abrahæ tempore habuiſſe; & in vtroque Caluiniſtas falli.

Beza in Colloq. Montisb. fol. 77. & cõtra Heſhuſium pag. 284. Schluſſel. Theol. Calu. l. 1. c. 17. lib. 2. c. 7.

Chriſtum ſecundùm humanitatem in cælo iam eſſe, nec alibi; & etiam ſecundùm humanitatem vbique eſſe.

Caluin. Inſtit. lib. 4. c. 17. §. 30. Luth. in cõfeſſione maiore, & Sermone de Sacram. corp. & ſang.

Infantes ſine Baptiſmo ſaluari; & non ſaluari ſine illo.

Calu. Inſtit. lib. 4. c. 16 §. 26. Luth. in confut. rat. Latomianę.

Infantes nullam in Baptiſmo habere fidem; & fidem habere propriam.

Calu. Inſtit. l. 4. c. 16. § 24. Lutherus lib. adver. Cochlæum, anno 1523.

Infideles, Herculem, Theſeum, Socratem, Numam, Catones, Scipiones ſimileſq́; ſaluari; & non ſaluari.

Zuinglius in expoſitione fidei Chriſt. art. 12. Luth. ad cap. 47. Geneſ.

Sanctorum & qui cælo iam aſſcri-

Caluin. Inſtit. lib. c. 11. §. 3.

pti

Luther. contra cæleſtes Prophetas.

pti ſunt imagines tollendas; & *eaſdem permittendas.*

Sunt & alia. quale eſt:

Vide Schluſſelbur. lib. 1. art. 8.

Mahumetanorum & Iudæorum liberos non eſſe baptizandos, quòd fœderis tabulis non comprehendantur; & *baptizandos eſſe.*

In colloq. Mompelgartenſi.

Baptiſmum à mulieribus collatum non eſſe validum; & *validum eſſe.*

Vide annotat. ad Harmoniam.

Fidem ſemel habitam nullis peccatis amitti poſſe; & *poſſe amitti.*

Vide Caluiniſt. Angl. & Magdeb. in præfatione Centuriæ 7.

Principes ſæculares in ſuis regnis eſſe ſuprema Eccleſiæ capita; & *membra eſſe, non capita.*

Vide Caluinum in Serueto.
Luth. tom. 3. Germ. Ienæ. fol. 115.

Hæreticos puniendos; & *omnibus liberam, quod volunt, credendi poteſtatem faciendam.*

Priora ex his omnia Caluiniſtarum ſunt: oppoſita, & quæ ſecundo loco recenſita, Lutheranorũ. Habes illa fuſiùs apud Coccium & Iurgievviciũ in bello Quinti Euangelij capite 3. Verùm & Lutheranorum Deus non vnus. neque enim ab vno tam pugnantia,

Vide Staphylum de cõcordiâ Lutheranorum.
Lindan. in Dubitantio.
Prateolum de Hæreſ.
Schluſſelburgiũ de Caluiniſt. Theologiâ.
Vlemberg. cauſsâ 9.

De Libero arbitrio, Iuſtificatione, Fide, Bonis operibus. de Lege & Euangelio. de Proprietatibus vtriuſque naturæ in Chriſto. de Perſonâ Chriſti, de illius ad inferos Deſcenſu.

Neque

Neque Caluiniſtarum Deus vnus. neque enim ab vno,

Chriſtum natum de Virgine; &, *natum de non Virgine.* Vide Valent. lib. 2. De Euchariſt. cap. 2.

Deum peccatorum, quæ in mundo perpetrantur, omnium cauſſam & auctorem; &, *dogmatis huius anathematizatio.* Calu. Inſtit. lib. 1. c. 8. §. 1. 2. 3. lib. 2. c. 14. §. 2. 3. 4. 5. lib. 3. c. 23. §. 4. 6. 7. 8. 9. Vide Poſſeuinum in Atheiſmis.

Trinitatis nomen in concionibus vſurpari poſſe; &, *non poſſe, cùm in Scripturâ ſacrâ non contineatur.* VVitakerus. Synodus Caluiniſt. Vilnæ an. 1589. 11. Maij.

Principem nullum caput eſſe Eccleſiæ; &, *Principem omnem, etiam mulierem, iure diuino caput eſſe Eccleſiæ.* Caluin. in Amos & Oſeam. Caluiniſtæ Angli.

Limbum Patrum fabulam eſſe; &, *Chriſtum ad Patrũ limbũ deſcendiſſe.* Calu. Inſtit. lib. 2. c. 6. § 9. Vide Duræum contra VVitakerum.

Animas beatas non videre Deum ante Iudicij diem; &, *videre eas nunc facie ad faciem.* Calu. Inſtit. lib. 3. c. 20. § 20. Calu. Angli, in defenſ. Apologiæ ſuæ.

Licitum eſſe cùm opus eſt, materies mutare Sacramentorum in Baptiſmo, in Cœnâ, caſeô nimirum, lacte, aquâ roſaceâ; &, *nihil horum licere.* Beza in epiſtolis Theologicis Epiſt. 2. pag. 27. Ita plerique Caluiniſtarum.

Quoſdam conuerſos neceſſariò deficere à fide; &, *ſolos electos fidem habere, nec poſſe eam amittere.* Beza in ſummâ Chriſtianiſmi. Vide Harmoniam Geneuenſium.

Fidem nullis peccatis amitti poſſe; &, *amitti poſſe.* Vide Harmoniam Martyr ad Rom. p. 590.

Laſicius in defenſione Volani, Gilbius, Goodmanus, Knoxus. Beza in Epiſt. Theolog. 37. pag. 40.

Principes ſi papiſtæ ſint, & Euangelij curſum retardant, poſſe à ſubditis occidi; & * *non poſſe occidi.*

* Bodinus lib. de Republ.

Anabaptiſtarum verò quot Deos aſſignabimus?

Munceriani Scripturas aſpernantur: extinctamque à Principibus libertatem armis vindicandam putant.

Apoſtolici etiam vxores manu mittunt; vagi, extorres.

Separati nullum armorum genus, ne in improbitate quidem puniendâ, admittunt.

Cathari vnâ ſpongiâ originis peccatum, illius traducem, & purgatricem aquam, cum Quintillâ tollunt.

Tacentes de ignauo Pythagoræ ſeptennio, ſilentio myſteria ſua tranſigunt, inſtitutionem omnem auerſantes.

Enthuſiaſtæ prophetica aucupabundi, futurorum præſcientiam, præteritorum indubitatam cognitionem venditant; diuinitatem per ſomnia captantes. quaſi Deus per hæc toties fruſtratoria, certa ſcientiæ & liberalitatis dona, dormientibus inſtillet.

Liberi, quibus, poſt repetitas mentientes aquas, ſoluta omnia & libera: peccatum nullũ, diffluant licet libidine & ſceleribus: nullum nimirum ſcelus iterùm ablutis.

Adami-

Adamitæ primi parentis innocentiâ veſtiti, veſtem omnem auerſantur, tãquam peccati. ergo palàm verecundiam exuti, tamquam peccati comitem, nudos ſeſe oſtentant die medio, noui in terris Paradiſi cultores.

Hutitæ. Iſraël hîc eſt, & promiſſionis terra, lacte ac melle fluens. reliqui quicumque ex hoc cæleſti Ioannis Huti delectu nõ ſunt, profani ſunt, & extranei ſupernę hereditatis.

Auguſtiniani. Clauſum his auctoribus cælum eſt; nec ab alio quàm ab Auguſtino Bohemo reſerandum.

Beuckeldiani multinubentiam ab Euangelio volunt: nubunt proinde quoties lubuit. & animalem hanc fidem à Deo, à reuelatorio ſpiritu Ioannis Leydenſis Beuckelzonij hauſerunt.

Melchioritæ Chriſtum volunt per Virginem, quaſi aquam per fiſtulam, tranſmeantem, nihil ab illâ accepiſſe, nihil mutuaſſe: vt ex illâ tranſmeatorio, non generatorio modo proceſſerit; per ipſam proinde, non ex ipsâ; neque matrem illam, ſed viam paſſus fuerit. Hi Melchiorem Hofmannum ante diem Domini, tamquam Heliam cęleſtis regni denuntiatorem, ſed & largitorem, auidi exſpectant.

Dauid-georgiani, qui ſuum Dauidem-georgium è Spiritu ſancto & Chriſti ſpiritu na-

tum: non tam mortuum poſteà, reuiuificandum; quàm voluntate ſuâ, amico ſopori datum: ac de ſepulchro tandem, diſcuſſo, quod videbatur, animę & corporis diſcidio, diuinâ virtute ſuâ eripiendum in ſalutem ſuorum.

Mennoniſtæ ſpiritale neſcio quod de cælo delatum corpus Chriſto tribuunt: matrimonia, ſi diſplicet vxor, ſi placet alia, ſoluunt. ſuntque latiſſimè diffuſi: quare & multitudinis prærogatiuâ Anabaptiſtarum nomen occuparunt, à Mennone Simone Friſio prognati: abeuntque in pugnantiſſimas ſententias, adeoque aduerſantes, vt ſingulis neceſſum ſit deſignare Deum ſuum.

At quid hîc ego adeò operosè aduerſariarum partium principes colligo? ipſi Luthero Deus non vnus. neque enim ab vno, tanta, in non poſtremis fidei & ſalutis, rerum pugna.

De Decalogi præceptis.

In Viſitatione Saxonicâ.

Chriſtiana vita eſt bona opera facere. ideò decem præcepta Dei diligenter prædicari debent, vt per ea mereamur. In eis enim bona opera omnia continentur.

Sermone de Moyſe.

Clarè patet quòd etiam decem præcepta ad nos non pertineant.

In Epiſtolâ ad Galatas cap. 4.

Decalogus in conſcientiis, quas Chriſtus per ſuam gratiam gubernat,

nat, nihil iuris obtinet, quò eas accuſare aut terrere poßit: quoniam Chriſtus huius legis aduerſum nos ius abrogauit, cuius gratiâ maledictum factus eſt.

Conſtat Decalogum ſolis Iudæis traditum, non nobis, dicant, quidquid volunt, omnes ſectarij ſpiritus, cum veritate nihil aliud docebunt. Ad cap. 20. Exod.

De Sacramentorum numero.

Neganda mihi ſunt ſeptem Sacramenta, & tantùm tria pro tempore ponenda. Lutherus De captiuitate Babylonicâ.

Si vſu Scripturæ loqui velim, non niſi vnum Sacramentum habeam. Ibidem.

Si rigidè loqui velimus, tantùm duo ſint in Eccleſiâ Dei Sacramenta: Baptiſmus & Panis. Ibidem.

De Dei Matris ſanctitate.

Nulla mulier tam ſancta eſt, nec fuit, nec erit in poſterum, quàm Maria. In Euang. in Feſto Deiparæ.

Non minùs ſancti nos ſumus atque Maria, & alij Diui, quantumuis magni, ſi modò in Chriſtũ credimus. Sermone De natiuitate Mariæ.

De Sanctorum meritis & ſuffragiis.

Ad Sanctorum ſuffragia recurrendum omni modo, ſicut in Iob dicitur. Luth. De primo præcepto.

Serm. De Mammonâ.

Pro meritis Petri ne vnum quidem obulum darem vt me iuuaret. ſeipſum enim adiuuare non poteſt.

De Sanctorum inuocatione.

Lutherus in purgatione quorumdã articulorum.

De interceſſione Sanctorum cum totâ Eccleſiâ Chriſtianâ ſentio & iudico, Sanctos à nobis honorandos eſſe, atque inuocandos.

In articulis ad conciliũ Mantuan. miſſis.

Inuocatio Sanctorum eſt etiam de numero Antichriſtianorũ abuſuum, quæ pugnat cum præcipuis articulis, & delet Chriſti cognitionem.

De Feſtorum dier. celebratione.

Luth. in viſitatione Saxonicâ.

Tertium præceptum docet, dies Feſtos celebrare: ideò feſta Apoſtolorum & Beatæ Virginis celebrari debent.

De piis ceremon. in Eccleſiâ ſeruandis.

Feſta in vniuerſum aboleantur.

Ad Nobilitatem Germaniæ.

Conſulo vt omnia Feſta præter diem Dominicum aboleantur.

De Sanctorum reliquiis.

Luth. in declaratione quorumdã articulorum.

Quis repugnare poteſt, quòd in hodiernum vſque diem viſibiliter ad Sanctorum corpora & monumenta, Deus Sanctorum ſuorum gratiâ miracula operatur.

In Poſtillâ in die Exaltationis S. Crucis.

Reliquiæ nihil aliud ſunt, quàm fraudes & ſeductiones fidelium. quare omnino infra terram defodiantur.

De

De operibus bonis.

Multi clamant bona opera nihil promereri: ſed multò magis conduceret, ſi homines ad bona opera facienda compellerentur: multi, dum audiunt fide hominem iuſtificari, fingunt omnia ſibi peccata remitti per fidem, putant omnino ſe eſſe mundos: & ſic temerarij & ſecuri fiunt. Luth. in viſitatione Saxonicâ.

Vides, quàm diues ſit homo Chriſtianus, ſiue baptizatus, qui etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam, quantiſcumque peccatis, niſi nolit credere: nulla enim peccata eum poſſunt dãnare, niſi ſola incredulitas. De captiuitate Babylonicâ, cap. De Baptiſmo.

Opus bonum non poteſt doceri, niſi lædas fidem; cùm fides & opera, in re iuſtificationis extremè aduerſentur. ita fit vt doctrina operum neceſſariò ſit doctrina Dæmoniorum, & diſceſſio à fide. De Votis.

De confeſſione Sacerdoti faciendâ.

Non eſt contemnenda confeſſio auricularis, propter abſolutionem & Euangelij verba. Lutherus Concione De Confeſſione.

Principio neceſſarium eſt, vt homo omnia mortalia peccata confiteatur, & contritione afficiatur. Concione De præparat. ad Sacramẽtum, tom. 7. German.

In Poſtillâ, Dominicâ Reminiſcere.

Nolo confiteri ob id ſolùm, quia Papa præcipit, & fieri vult.

De Indulgentiis.

Luther. in Reſolutione De Indulgentiis.

Indulgentiæ tollunt pœnas à Pontificibus & SS. Patribus impoſitas.

In aſſertione articulorũ per bullam Leonis X. damnat. art. 18.

Dico Indulgentias eſſe impiiſſimas ſceleratiſſimorum Pontificũ fraudes.

Hæc Lutherus, nó ab vno Deo. nec enim ab vno hæc fidei bella. duos ergo ſtatuat neceſſum eſt, tãquam duas Symplegadas naufragij ſui: vnum veterem, cuius etiam hîc non rarò dogmata profitetur: alterum ſuũ, quem cum Caniculâ Philoſopho, accensâ meridie lucernâ, extincto fidei lumine, quærat cęcus. neque mirum duos illum vidiſſe Deos; lippientibus enim ſingularis lucerna numeroſa eſt. At ego hîc aueo ex te audire, quis Deorum horum, verum, quis falſum Luthero denuntiauit? vtrumque denuntiaſſe vera, in tam manifeſtâ contrarietate, quis credat? Quid? quòd nec in duobus Diis ſtare Lutherus poteſt, ſi vera quæ Tigurini de illo: cùm triginta ex illius operibus de Euchariſtiâ ſolâ aduerſantes enumerent ſententias. Hæc parens. quid illius filij, Oſiandrini, Maioriſtæ, Flacciani, Subſtantiarij, Accidentarij, Vbiquiſtæ? non ſinguli Deos venerabuntur ſuos, pugnantium inuicem opinionum auctores?

Sed

Sed nec Caluino Deus vnus. audi loquentem:

De Dei omnipotentiâ.

Verbo Dei nulla eſt impoſſibilitas obiicienda. Calu. ad cap. 1. Lucæ.

Illud ſomnium de poteſtate abſolutâ in Deo, quam Scholaſtici introduxerunt, execranda blaſphemia eſt. Ad caput 3. Eſaiæ.

De Trinitatis nomine.

Quoniam voces iſtas Trinitatis & Perſonarũ plurimùm Eccleſiæ Chriſti commodare intelligimus, ita vt verè Patris, & Filij, & Spiritus ſancti diſtinctio clariùs exprimatur; ab his vſque adeò non abhorremus, vt libenter eas amplexemur, ſiue ex aliis audiendæ, ſiue à nobis vſurpãdæ ſint. Epiſtolâ 350.

Sancta Trinitas vnus Deus mihi non placet, & omnino barbariem ſapit. Epiſtolâ ad Polonos anno 1563.

Deus an peccati cauſſa.

Eos qui dicunt Deum eſſe cauſſam peccati, malè admodum de ipſo mereri; eò quòd grauius ſit, quàm ſi eius potentiam negarent, vel iuſtitiam: execranda blaſphemia eſt, ſic de Deo ſentire, aut dicere. Calu. cont. Libertinos.

Non ita Iudam hortatur Chriſtus, vt cenſeri poſſit impulſor: potiùs vox Ad cap. 13. Ioan.

eſt deteſtantis. non imponit Chriſtus Iudæ pereundi neceſſitatem, ſed talem eſſe pronuntiat, qualis priùs erat.

Inſtitut. lib. 1. c. 18. §. 1.

Abſurdum videtur volente ac iubente Deo excæcari hominẽ, qui mox cæcitatis ſuæ pœnas daturus eſt. Tergiuerſando itaque effugiunt, Dei permiſſu, non etiam voluntate hæc fieri. Ipſe verò ſe palàm facere pronuntians effugium repudiat. Quidquid agitent homines, vel Satan ipſe; Deus tamen clauum tenet, vt ad exequenda ſua iudicia conuertat eorum conatus. Abſalon inceſto coïtu patris thorum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat: Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronuntiat.

§. 2.

Et: *Nihil clarius poteſt deſiderari, quàm vbi toties pronuntiat ſe excæcare hominum mentes, ac vertigine percutere, ſpiritu ſoporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda. Fateor quidem interpoſitâ Satanæ operâ ſæpè Deum agere in reprobis: ſed vt eius impulſu Satan ipſe ſuas partes agat, & proficiat quatenus datum eſt, ſumma Dei voluntas rerum omnium cauſſa eſt.*

Ad cap. 9. Epiſt. ad Romanos.

Et: *Friuolum eſt illud effugium, quod*

quod de præſcientiâ Scholaſtici habent. Neque enim præuideri ruinam impiorum à Domino Paullus tradit; ſed eius conſilio & voluntate ordinari. Non modò præcognita fuit impiorum perditio: ſed impij fuerunt deſtinatò creati vt perderentur.

Decreto Dei conſtitutum eſt hominem per peccatum labi debere. Et nihil contingit ei, quod Deus non decreuerit. Libro contra Pighium.

Chriſtus an peccauerit.

Nulla Chriſti paſſio vltra ſuum modum vmquam erupit; nulla niſi iuſta, & ex ratione rectóque iudicio ſuſcepta. Calu. ad cap. 11. Ioan.

Chriſtus, mortem refugiendo, mollitiem ſuam fatetur. ad cap. 12. Ioan.

Chriſtus in aſſumptâ hominis naturâ verè peccator fuit, & reus maledictionis diuinæ. ad cap. 3. ad Galat.

Quomodo iuſti ſumus coram Deo? certè vt Chriſtus peccator fuit. ad cap. 5. prioris ad Corinth.

Chriſtus an ſibi meruerit.

Morte & reſurrectione ſuâ promeritus eſt, vt tam in morte quàm in vitâ, gloriæ nominis ſui ſeruiamus. ad cap. 14. Epiſt. ad Romanos.

Quærere an ſibi meruerit, non minùs ſtulta eſt curioſitas, quàm teme- Inſtit. lib. 2. c. 16. §. 6.

raria definitio, vbi hoc aſſerunt.

De Baptiſmo.

Calu. ad cap. 3. Ioan.

Exules & prorſus alieni à Regno Dei naſcimur, & perpetuum nobis cum ipſo diſcidiũ eſt, donec alios ſecunda genitura nos faciat. generalis enim eſt ſententia, quæ complectitur totum genus humanum.

Inſtit. lib. 4. c. 16. §. 26.

Explodendum eſt eorum commentum, qui omnes non baptizatos æternæ morti adiudicant.

De ſacrâ Euchariſtiâ.

In optimâ ratione ineundæ concordiæ.

In ſacrâ Cœnâ miraculum agnoſcimus, quod & naturæ fines & ſenſus noſtri modum exuperat.

Inſtit. lib. 4. c. 17. §. 24. 25.

Iſti Lutherani boni eius zelotæ miraculum ſibi fabricant; quo ſublato, euaneſcit Deus cum ſuâ potentiâ. Illi, auditis Chriſti verbis, Hoc eſt corpus meum, miraculũ ab eius mente remotiſſimum imaginantur.

Ægris an ſacra Communio danda.

Calu. Epiſt. 361.

Cur Cœnam ægrotis negandam eſſe non arbitrer, multæ & graues cauſſæ me impellunt. niſi enim ſit communicatio, perperàm deflectitur à ſacrâ inſtitutione Chriſti.

Repo-

Repoſitio Sacramenti, quam non-nulli vrgent, vt ægrotis extra ordinem diſtribuatur, inutilis eſt. Inſtit.lib.4.c.17.§.39.

Caluini iſta ſunt, quæ ab vno Deo nata non ſunt.duos ergo proferat; primum, à quo ſaniora; ſecundum, à quo nouitia, quibus rudes animas, & in nouitatem pronas nouitatis gratioſitate percutiat. Verum à quo Deorum horum, ſalutem ſibi, ſuiſque, ſperabit, ſpondebit Caluinus. nam ab vtroque, quis credat? niſi nouus Triptolemus, vt Deos duos, ita cælum non vnum fabricet, in quibus ſingulorum cultores, opinionumque aduerſantium propugnatores. Sed & hîc duos neceſſum deſignet mediatores, Chriſtos duos; vniuſcuiuſque Dei, cælique, Chriſtum ſuū: neque enim ab vno, libertatis, & vtriuſque cæli aſſertio. etenim qui amicum vni, alteri inimicum ſtatuet. nec enim placere vtrique, in tantâ de contrarietate luctâ, poterit: vt planè neceſſum ſit, qui vnius adhæſerit, alterius placitis refragari. neque hîc ſtabit Caluinus; duas in alto vaſtitates, & in terræ viſceribus reconditas deſignabit profunditates, ſingulorum Deorum præuaricatoribus deſtinatas. imò cùm diametro pugnent Caluiniani hi Dij; quicumque diſciplinæ vnius iugum excuſſerit, quicumque in vnius traditæ fidei regulâ obtorpuerit, ac pro-

proinde plectẽdus ob delictum, ab altero coronandus erit ob ſequelam. ille ergo ſub vnius plagis & ignibus tremens & gemebundus, ſub alterius palmâ & coronâ ludet. diffluet hîc gaudiis, tormẽtis alibi; at renaſcentibus æternùm illis, renaſcentur & tormenta; nullaque hæc die, nullâ intermoritura ſunt illa. Denique ſingulis Diis ſingulos ſolidabit orbes Dædalus Caluinus tuus, vniuſcuiuſque imperio aut afflatu figuratos: addet elementa, & in his inflabellatum ignem; omnemque adeò paraturam aliam, vt tandem pugnantes hi Dij, de æmulis orbibus, de terrarum æquiparantiis, non ſecùs ac de monitorum imperiorumque diuerſitate digladientur.

Anabaptiſtarum denique centum minimùm Deos neceſſum aſſignemus, à quibus diſſidentium opinionum, & in claſſes ſuas repartitarum, capita denũtiata. neque enim ab vno Deo alia quàm vniformia demandantur, in ſalutis & fidei negotio: tot ergo Deos ſtatuemus, quot contrariarum in fidei rebus opinionum denuntiatores videmus.

REDAN. Non negauero Lutherum, Caluinum, Mennonem, in quibuſdam hallucinatos: ſatis eſt in pleriſque vera denuntiaſſe.

LIPS. Non qui in vno fallit, in reliquis fidem ſuam incertat? Et cur ego aſtruenti res

varias,

varias, tamquam à Deo, à primâ Veritate dictatas, magis aſſentiar vni quàm alteri? aut quo ſpiritu vera à falſis ſecernam? cur non pari iure credam mentitum in omnibus, qui auſus fuit in vno? aut cur in hoc potiùs quàm in alio, in poſteriore quàm in priore pronuntiato? Singula vtriuſque aſſertor cùm denuntiaret, à Spiritu ſancto eſſe fortiter aſſerebat. cur ergo priori diſſentiam, poſteriori aſſentiar? aut quibus aliis credulitatis ſignis prius à ſeductorio ſpiritu, ſecundum à Spiritu ſancto eſſe demonſtrabit? Deinde quem ex his cui præferam? Quod licuit Luthero, licuit Caluino, licuit Mennoni, de arbitrio ſuo fidem innouare. par vtrobique felicitas: par poteſtas. aut oſtendat Menno, à quo ampliorem Luthero poteſtatem acceperit. A Deo? à primâ Veritate? Deus vnus eſt, Veritas vna eſt. De hac vnitate audi Cyprianum: *Auelle radium Solis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit. ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit: vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur.* Lib. De vnitate Eccleſiæ.

Vnum Cypriano lumen eſt, quod vbique diffunditur, diuiſionem vnitas non capit. veſtra ergo lumina à quo Sole ſunt? ab vno

eſſe

eſſe non poſſunt: vnius Solis lumen vnum eſt: apud vos, quocumque te torſeris, lumina plura ſunt; quare & corpora, lumina hęc à ſe diffundentia, plura ſunt. Iam cùm lumina hæc apud vos mutuò aduerſantia ſint; neceſſum eſt & hos Soles, à quibus pugnantia hæc lumina, inuicem inimicos eſſe: in tantâ etenim luminum diſſenſione amici eſſe non poſſunt. Non veniunt proinde hæc lumina, hi Soles veſtri, ab illo Maximo Sole, primâ Veritate. quę vt vna & indiuiſa eſt, ita lumen ſpargit vnum, nec aliud quàm vnum. Nec poteſt lumen, ſi verum eſt, ſi non de mendacio eſt, ab alio Sole, quàm ab illo Maximo diffundi. veſtra autem lumina tot eſſe neceſſum eſt, quot in fidei rebus proſpectus contrarij ſunt: neque enim per idem lumen Beza videt,

In Colloq. Mompelg. *Deum ab æterno, immutabili decreto, maximam hominum partem voluiſſe damnare, noluiſſe ſaluare.*

Lib. contra Brentium. *Duas in Chriſto vniones hypoſtaticas.*

Lib. in Heshuſium. *Chriſtum in veteri Teſtamento, non tantùm efficaciâ, ſed etiam eſſentiâ ſe piis communicaſſe.*

In cap. 26. Matth. & Calu. Inſtit. lib. 2. c. 16. *Chriſti ad inferos deſcenſum, nihil eſſe aliud, quàm in cruce pati inferni dolores.*

Sacra-

Sacramenta duo, Baptiſmum & Cœnam.

Vide Iurgievvic. cap. 3.

Fidelium infantes Deo gratos eſſe & acceptos, vſque ad mille generationes.

Vide Schluſſelb. lib. 1. art. 18.
Vide Caluinozuinglianos in Pręfat. apologet.

Et huius generis ſexcenta alia.

Neque per idem lumen Lutherani vident,

Blaſphemam eſſe de decreto Dei abſoluto doctrinam Bezæ, & Dei verbo contrariam.

Schluſſel. lib. 1. art. 28.
In Colloq. Mompelgar.

Vnam in Chriſto vnionem hypoſtaticam.

Vide Iurgievvic. c. 3.

De Christi in veteri Inſtrumento communicatione, dogma eſſe abſurdiſſimum.

Schluſſelb. lib. 1. art. 17. & lib. 2. art. 7.

Chriſtum inferni dolores in ipſo inferno paſſum.

Danæus in reſp. ad Oſiandrum.

Sacramenta tria, Baptiſmum, Cœnam, Abſolutionem.

Luth. in captiu. Babyl.
Melancht. in Apolog. confeſſion. Auguſt.

Fidelium infantes etiam ſine Baptiſmo Deo gratos eſſe.

Schluſſelb. lib. 1. art. 18.

Innumera propè ſunt in his paria. vt cùm Lutherani vident,

Filium Dei, qui creauit omnia, inſtrumentum eſſe Patris.

Luth. in cap. 1. Geneſ.

Filium ſecũdùm Diuinitatem reſiſtere iræ Patris aduerſus peccata.

Naturam Diuinam Filij, obediuiſſe Patri in paſſione.

Melancht. Epiſt. ad Electorem Torgæ datâ 3. Octob. anno 1552.

eſſe non poſſunt: vnius Solis lumen vnum eſt: apud vos, quocumque te torſeris, lumina plura ſunt; quare & corpora, lumina hęc à ſe diffundentia, plura ſunt. Iam cùm lumina hæc apud vos mutuò aduerſantia ſint; neceſſum eſt & hos Soles, à quibus pugnantia hæc lumina, inuicem inimicos eſſe: in tantâ etenim luminum diſſenſione amici eſſe non poſſunt. Non veniunt proinde hæc lumina, hi Soles veſtri, ab illo Maximo Sole, primâ Veritate. quę vt vna & indiuiſa eſt, ita lumen ſpargit vnum, nec aliud quàm vnum. Nec poteſt lumen, ſi verum eſt, ſi non de mendacio eſt, ab alio Sole, quàm ab illo Maximo diffundi. veſtra autem lumina tot eſſe neceſſum eſt, quot in fidei rebus proſpectus contrarij ſunt: neque enim per idem lumen Beza videt,

In Colloq. Mompelg. *Deum ab æterno, immutabili decreto, maximam hominum partem voluiſſe damnare, noluiſſe ſaluare.*

Lib. contra Brentium. *Duas in Chriſto vniones hypoſtaticas.*

Lib. in Heshuſium. *Chriſtum in veteri Teſtamento, non tantùm efficaciâ, ſed etiam eſſentiâ ſe piis communicaſſe.*

In cap. 26. Matth. & Calu. Inſtit. lib. 2. c. 16. *Chriſti ad inferos deſcenſum, nihil eſſe aliud, quàm in cruce pati inferni dolores.*

Sacra-

Sacramenta duo, Baptiſmum & Cœnam. Vide Iurgievvic. cap. 3.

Fidelium infantes Deo gratos eſſe & acceptos, vſque ad mille generationes. Vide Schluſſelb. lib. 1. art. 18. Vide Caluinozuinglianos in Præfat. apologet.

Et huius generis ſexcenta alia.

Neque per idem lumen Lutherani vident,

Blaſphemam eſſe de decreto Dei abſoluto doctrinam Bezæ, & Dei verbo contrariam. Schluſſel. lib. 1. art. 28. In Colloq. Mompelgar.

Vnam in Chriſto vnionem hypoſtaticam. Vide Iurgievvic. c. 3.

De Chriſti in veteri Inſtrumento communicatione, dogma eſſe abſurdiſſimum. Schluſſelb. lib. 1. art. 17. & lib. 2. art. 7.

Chriſtum inferni dolores in ipſo inferno paſſum. Danæus in reſp. ad Oſiandrum.

Sacramenta tria, Baptiſmum, Cœnam, Abſolutionem. Luth. in captiu. Babyl. Melancht. in Apolog. confeſſion. Auguſt.

Fidelium infantes etiam ſine Baptiſmo Deo gratos eſſe. Schluſſelb. lib. 1. art. 18.

Innumera propè ſunt in his paria. vt cùm Lutherani vident,

Filium Dei, qui creauit omnia, inſtrumentum eſſe Patris. Luth. in cap. 1. Geneſ.

Filium ſecũdùm Diuinitatem reſiſtere iræ Patris aduerſus peccata. Melancht. Epiſt. ad Electorem Torgæ datã 3. Octob. anno 1552.

Naturam Diuinam Filij, obediuiſſe Patri in paſſione.

At Caluiniſtæ vident,

Zanchius 2. parte lib. 1. c. 8. *Dei nomen per excellentiam ſoli Patri attribui.* & in illo Scripturæ

Ioan. 14. loco, *Ego & Pater vnum ſumus*,

VVitakerus ex Caluino contra Duræum. cum Arrianis, *conſenſum* vident, *& voluntatis concordiam*, non *ſubſtantiæ vnitatem.*

Calu. Inſtit. lib. 2. c. 14. *Chriſtum etiam ſecundùm diuinitatem* vident *ſubiectum Patri.*

Quid? quòd ſupra magiſtrum aliquid videat diſcipulus Beza? cùm *Chriſtum* videt *genitum non ex eſſentiâ Patris.*

Aſt alia longè ab his, Sole ſuo, lumine ſuo, vident Mennoniſtæ, Anabaptiſtæque omnes, qui Lutheranos, qui Caluiniſtas, qui *Sacramentarios omnes* vident *alienos ab Eccleſiâ Dei, diuini verbi corruptores, hæreticos, idololatras, in Deũ blaſphemos, mendaces, faſtuoſos.*

Plura qui volet ex his ſentinis, videat quæ Staphylus, quæ Vlembergius, quæ Staniſlaus Reſcius in ſuâ Miniſtromachiâ, quę Andreas Iurgievvicius in Bello quinti Euangelij, quę Iudocus Coccius in Theſauro Catholico, ex ipſis fontibus hauſta, fide optimâ ad poſteritatem teſtatiſſima tranſmiſerunt. Quæ omnia, quis credat ab vno Sole, vno luminoſo corpore, lumine vno profecta? Sanè quodcumque hoc lumen eſt, cæli lumen eſſe non poteſt: vnum hoc eſt: primæ ſummæque Verita-

ritatis lumen eſſe non poteſt, vnicum hoc eſt. Phlegethonticum ergo erit, quod multiplex eſt ab illâ Ætnâ, illâ incude, aduerſantia hæc luminaria, hi Soles pugnantes. Si itaque ab hoc Cerbereo cęlo hi Soles, ab hoc Acherontico fonte hi riui, ab hac Tantalicâ arbore hi rami; quid miraris non coadoleſcere, nec in vnum corpus pugnantia hæc membra concorporari? Rhadamanthæa hæc placita ſunt: *Inferni regna aduerſantibus creſcere, conſentientibus interire.*

Caput IV.

Mutuò ſe damnantes.

Mutuo damnati Iudicio Apoſtolicæ Fidei propagatores cenſeri non poſſunt.

AVDIAMVS mutua tuorum iudicia. ſtabis credo ſententiæ illorũ, quorum fidem amplecteris.

Lutherani homines ſunt vertiginoſi, Cyclopes, ſuperba factio Gigantum, phrenetici, beſtiæ, prodigioſè cæci, deſperatè impudentes, nihil aliud quàm falſarij, improbi calumniatores, proterui, plus ſatis bardi, faſtuoſi, & ſimul ita ignari, vt quod pueris in Catechiſmo traditur, id eorum veterani Theologi ignorẽt, bruti homines: qui, quid valeat, quorſum ſpectet Caluinus Admonitione tertiâ ad VVeſtphalum.

 Cœna,

Cœna, numquam guſtarũt: qui nec guttam ingenui pudoris habentes, perinde ac ſi toto vitæ curſu nihil præter anathemata didiciſſent, ſingulis propè ſcriptorum ſuorum verſibus in nos fulminando, omnes Papæ ſcribas & datarios ſuperant. & apud Schluſſelburgium, *Lutheranos* dicit *ſanæ doctrinæ aduerſarios, adulterini dogmatis patronos, craſſos comeſtores.* Miniſtri verò Tigurinæ & Gebennenſis Eccleſiæ, Lutheranæ ſententiæ aſſertores appellant *homines indoctos, turbulentos, omni virtute deſtitutos; in quibus ſit confuſa & ſtupida garrulitas: homines nullius pretij; qui falſo prætextu decipiant multos rudes & imperitos.* Lutheri verò doctrinam volunt Caluiniſtæ *vanam, futilem, ſcurrilem, ineptam, inſanam, commentum falſiſſimum, nugas putidas.* & apud Iurgievvicium, *doctrinan nouam* dicunt *& mendacem, commentum à Diabolo ſuggeſtum, monſtrum in Lutheri cerebro fabricatum, dogma abſurdum, Satanæ excremẽtum, doctrinam ſchiſmaticam, ſectariam.* Lutheranam cœnam vocat Beza, *Thyeſtis cœnam, Satanæq; excrementum.* Nuſquam hîc video Apoſtolos, nuſquam doctrinã Apoſtolicam.

In capit. conſen. anno 1554.

Vide Brentium in recognitione doctrinæ cont. Bullingerum.

Schluſſelb. lib. 2.

Fortè prærogatiuam hanc Caluiniſtis tribuent Lutherani: audi quid ſentiant. Hi ſunt *qui Filium Dei mendacij arguunt, qui Deum ſuâ omnipotentiâ ſpoliant, qui ſunt abiurati*

Schluſſelb. lib. 2. ar. 13

iurati hoſtes,& profligatiſsimi falſatores Teſtamenti Dei. qui non vno ſacrilegio vitiati, innumeras animas æterno exitio inuoluunt. publici & manifeſti hæretici. Præſtigiatores, Epicurei, athei, arguti momi, increduli, blaſphemi, inertes aſini, porci ſacramentarij, maledici ſcurræ, virulentiſsimæ viperæ, lupi rapaces, vrſi, factioſi, fanatici homines, ſacramenti perdæ, laruæ diaboli, tenebriones, cæcorum duces, animicidæ, capitales hoſtes Filij Dei, infernales moloſsi, Germanici Turcæ.

Illyricus in defenſione Cõfeſſion. Martiniſt. Stanckar. Epiſt. ad Regem Poloniæ. Vide Iurgievvic.

Iam Caluinum Hunnius vocat *Angelum tenebrarum, qui ex abyſsi puteo emergens, partim deteſtabili hac & inſanâ libidine torquendi Scripturas, & propugnacula Chriſtianæ religionis aduerſus infideles, Iudæos, & Arianos diruendi, partim impio in ſacroſanctam maieſtatem exaltati Ieſu Nazareni calamo, partim etiam peruerſo dogmate de re totâ Sacramentariâ, denique horribilibus ſuis de abſolutâ prædeſtinatione portentis & paradoxis, non minimam Solis partem, vt Apocalypſis loquitur, his nouiſsimis temporibus obſcurauit, trahens magnum ſtellarum numerum, & vnà ſecum in abyſſum præcipitem trahens.*

Bezam, Schluſſelburgius ait, *Sacramentarium baſiliſcum, blaſphemos & diabolicos ſarcaſmos euomentem; Dei Sacramentum, maledico, ſpurco, blaſphemo rictu impetentem; in-*

carnatum diabolum; percuſſum vertiginis ſpiritu; beſtiam furentem.

De Cœnâ Domini tom. 2. German.

De Zuinglio, deque doctrinâ illius Lutherus: *Quicumque ſibi benè conſulere volet, caueat ſibi à Zuinglio: nec ſecùs ac tartarei dæmonis venenum eius libros fugiat.*

Lutherus tom. 2. cap. De aduerſariis.

Et Brentius: *Dogmata diabolica, impietatibus plena, redundantia deprauationibus, ſtrophis, calumniis, ſacrilegiis.* De cuius morte: *Deus eſt iuſtus, eiúſque iudicium rectum, qui blaſphemos & contemptores verbi ſui non ſinit impunitos; ſed miſerè pereunt.*

Vide Iurgievviec.

Spiritum verò, à quo Caluiniſtæ gubernantur, dicunt Lutherani, *atrum, peſſimum, fugitiuum, lubricum diabolum, falſum, mendacem, infamem, furioſum, cæcum, præfractum, proteruum, lucem fugientem, odio contra Dei Filium flagrantem, qui ex ſecretiſſimâ abyſſo infernali prodierit, verſutiſſimum dæmonem.*

Nobilem doctorem! à quo Caluinianum Euangelium, Apoſtolatus, mores, reliqua. à quo tot retrò ætatum noctes pulſæ; ab exilio reuocata Veritas, à morte, à ſæculorum monumento, redanimata in ſpem Galliæ, in exſpectationem orbis terrarum. Doctrinam autem Caluinianam inclamant *blaſpemiis, erroribus, contradictionibus, conſequentiis falſis refertam: Arianam & Eutychianam hæreſim, fatuam, impiam, indoctam: ſentinam in*

Stanckarus lib. 2. ad Caluinum.

quam

quam multæ hæreſes confluunt, vltimam Satanæ iram, quam is furiis agitatus contra Chriſtum, eiúſque Eccleſiam, repererit: blaſphemam & ſacrilegam ſectam: elumbem, temerariam loquacitatem, craſſam ſtultitiam; virulentum indignúmque hominibus mendacium; doctrinam ſceleratam, Satanicam blaſphemiam, ex inſpiratione atri ſpiritus natam. Claudunt denique nobili elogio: *Arianiſmus, Mahometiſmus, Caluiniſmus, fratres ſunt & ſorores; tres caligæ eiuſdem panni.* Schutz in Serpente antiq. c. 33. Heshuſius in defenſ. cont. Calu. Vide Iurgievvic.

Si hæc Apoſtolica doctrina eſt, quę Acherontica eſt? ſi à Deo eſt, quæ à principe tenebrarum eſt? ſi à Veritate, quæ à mendacio eſt? Plura qui volet, legat Reſcij Miniſtromachiam, Vlemburgij cauſſa, Schluſſelburgium de Theologiâ Caluiniſticâ, Bezam in Dialogo contra Heshuſium, Iurgievvicium in Bello quinti Euangelij.

Vis Mennonis de vtriſque iudicium? *Scio*, ait, *verè quòd ſint extra Chriſti ſpiritum, miſſionem, & verbum; & quòd in doctrinâ ſuâ & actionibus, hominum fauorem, honorem, ſuperbiam, reditus, ſplendidas domos, iucundam & voluptatibus affluentē vitam non minùs quærant quàm Papiſtæ.* Pergit: *Vos eſtis qui diſſolutam carnalémque vitam ducitis, qui Chriſtum iterùm crucifigitis, qui blaſphematis ſpiritū eius, qui gratiam Dei contemptui habetis.* Menno libro qui inſcribitur, Fūdamentum cap. De doctrinâ concionatorum.

Libro De Chriſtianâ fide.

& alibi: *Cùm ad concionatores eius perueni-tur, qui ſe glorìantur habere Dei verbum, quoſ-dam manifeſtè & apertè mendaces, quoſdam ebrioſos, quoſdam vſurarios, quoſdam ſuper-bos & faſtuoſos, quoſdam calumniatores & maledicos, conuitiatores & proditores inno-centium eſſe deprehendas.*

Menno ſuprà.

De doctrinâ demùm illorum quid ſentiat, audi: *Diſſolutâ ſuâ carnaliq́; doctrinâ, diſſolu-tum & carnalem populum ad eam morum tur-pitudinem vitæq́; licentiam induxerunt, vt nec inter Turcas & Tartaros tam impij & abomi-nandi inueniantur.* Pulcra anathemata no-ui Apoſtolatus, defigenda tholis.

Ego hæc ſi fingerem, quod me mare elue-ret? quæ lauaret flumina? quis expiaret ignis? non inclament orbe toto faciles in iudicium calami, ſæculi noſtri (non ſint & fidei) Stoici? ſed ore ſolo Stoici: cetera taceo. qui à manu meâ nil amant præter laudes; ex vero, ex mendacio veniant, nihil admodum intereſt pluant tantùm (nam ſtillaſſe numquam ſatis eſt) hi placentiæ nimbi: decora, & clara no-mina: Soles, Lunæ, Sidera, Litterarij Dij, Dij magni. Io! Papę! doctam manum! Etiam illaudanda ſi laudet? Eugepæ! quin & eò ma-gis. Etiam improbanda ſi probes? O virum Stoicæ diſciplinæ, qui nullũ damnet! Etiam improbiſſimæ vitæ? O caput omni coronâ dignum!

dignum! os purum! quod in litterario viro admirandam videt improbitatem! neſcio an non & imitandam. ſequitur admirationem imitatio, vmbra corpus. Quòd ſi quis ex hoc Apoſtolatu nouo, veteris veriqúe Apoſtolatus cultorem læſerit numquam læſus; ſi innocentem, ſi virginem aduerſarij calamum violauerit; ô ſanctum, ſi pro conuitiis laudibus onerauerit; ſi ſilentio ſuo crimina probauerit, ſi nouis etiam laudibus, tamquam oſculis, inimicam manum adorauerit. Quid ſi & ſe purgauerit, & ex vero aliquid repoſuerit? O duram dexteram! inhumanũ pectus! Hæc audiri? Petimur, & ſaxeo perpluimur imbre, & excludimur tectis: ô ſæculi noſtri mores! ô inhoſpitam ætatem! ruunt fulmina, micat vndique litterarium cęlum, ſubducimur iaculis, ignibus: ridemur. Quid ſi VERITATIS vmbone tegamur? ſi excutimus iacula? audias nouum aliquem terris Epictetum: *Nollem factum*. Quid ergo? vindica te lachrymis, Pythagoreis antris nil vltrà: etiã laudibus. Quid ſi fecero? ô virum magnum, dignum litterariâ tripode! dignum puluillo plumeo! adde & integras culcitras, vt molliùs accumbat hederatus triſtegis litterariis. Quò quò manus hæc? redeo in viam. Si in hos nouos cæli Apoſtolos vel Apelleâ manu lineam duxero: ô me Catonem! ô pennam

hanc mordaci nimiùm tinctam aceto! nunc cùm inuicem ſe tam illuſtri mactent honore, cùm Apoſtolatus depingant mutuos, nouo nimiumq́ue vero penicillo: quis aut mihi indignabitur recenſenti, quod illos non puduit referre; aut non credet his Euangeliſtis affirmantibus, qui, quidquid dixerint, ſcripſerint, Dei digito & ore ſcriptum dictumq́ue volunt. Negamus? accuſamur incredulitatis. credimus? næ illi belli Apoſtoli ſunt, nobiliſſimæ doctrinæ huius præcones.

Verùm quid Lutherani, quid Caluiniſtę, de Anabaptiſtis vniuerſis? audi Lutherum: In colloq. German. fol. 153. *Munzerus, Campanus, & ſimiles alij eorum ſectarij, ſunt meri corporei dæmones. Qui Munzerum vidit, dicere poteſt ſe vidiſſe Diabolum corporeum in ſummo ſuo furore.* audi Calu. Inſtruct. aduerſ. Anabapt. Caluinum: *Si aduerſus omnes errores & falſas opiniones Anabaptiſtarũ ſcribere vellem, ingrederer abyſſum, vnde mihi exitus non pateret. Nam iſta colluuies ab aliis hæreticorum ſectis in eo differt, quòd non tantùm in certis rebus errauerit, verùm ſit immenſum quoddam ſtupendorum deliriorum mare. adeò vt vix vnius Anabaptiſtæ caput reperiri poſſit, quod non ſit imbutum aliquâ opinione diuerſâ à reliquis.* audi denique, quàm verè de iis Lutherani: Reſcius in Miniſtromachiâ. *Si vos Eccleſia Dei eritis, ſequetur Deum ſine populo & Eccleſiâ fuiſſe, vſque ad*

annum

annum 1522. in quo Nicolaus Storck, & paullò pòſt Thomas Munzerus, prima doctrinæ veſtræ fundamenta poſuerunt. Nam ſi vel omnes hiſtorias perlegatis, nullum ab exordio mundi populum inuenietis, qui confeſsionem fidei veſtræ ſimilem habuerit. quia verò neque Deus à principio ſine populo & Eccleſiâ, neque ſempiternus ille IESVS CHRISTVS *ſine regno fuit, veſtra autem congregatio primùm anno 1522. cœpit; ſequitur, vos verã Dei Eccleſiam, atque populum eſſe non poſſe.* Quouſque riſum? non ego iiſdem verbis Lutheranos, Caluiniſtas, conuenero? Vnum aliquem, vnum deſignět, ex omni ſæculorum memoriâ, qui Lutheri, qui Caluini per omnia fidem profeſſus fuerit. neque tamen ſine populo, ſine Eccleſiâ, ſine Regno Chriſtus fuit, annis mille quingentis. Vbi tot ætatibus Lutherani? Caluiniani? nam quando Lutherus, quando Caluinus à noſtrâ, id eſt, Catholicâ, Apoſtolicâ, Romanâ Eccleſiâ diuortium fecerint, quis eſt qui neſciat? credidiſſe eos ſcimus, quæ Eccleſia noſtra, donec ſub Pontificatu Leonis X. continentiæ deſertores, incontinentiæ ignibus ſuccenſi, ad tegendas flammas, quibus vrebantur, venena doctrinarum, tamquam libidinum ſuarum ſpumas, diſſeminauerunt.

Et Lutherus quidem in ſacratioris Mona-

naſte-

naſterij virginem paribus libidinum flammis æſtuantem impegit, Caluinus cum ſuo Bezâ in Audubertulos, Menno denique in immania promiſcua proſtibula.

CAPVT V.

Pugnantes Scripturarum interpretes.

Scripturarum pugnantes interpretes Apoſtolicæ Fidei propagatores haberi non poſſunt.

LIPS. Faciam, in paucis rem, manuque tangas doctrinam horũ, Apoſtolis & Veritati obſtrepeſcentem, & à primogenio Scripturarum ſen-
Ioan. 3. ſu expoſitiones diuertentem. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Satiſne manifeſta & exerta hæc Domini ſententia eſt? inuenit tamen hîc Menno, quod morderet. De adultis, ait, ſolis hoc præceptum: paruulos verò quicumque tingunt, viduis mentiuntur aquis. De omnibus vult Caluinus; ſed ita, vt & paruulis nõ ablutis cælum ſpondeat, & in parentum fide expiationem. Lutherus etiam in fide ſuâ: nec ſine illâ paruulos eſſe, ab vtero licet recentes, dum purgatrice hac lymphâ eluuntur. At ego poſt ſedulam ſeriamque diſquiſitionem, poſt non verborum,

Digitized by Google

borum,ſed apicum curioſam indagationem, nuſquam video *adultos:* nuſquam *non tinctos in parentum fide ſaluari:* nuſquam *tinctionis momento paruulos cælo illuſtrante fidei actus exercere.* quę cùm hîc nuſquā ſint, ſinguli tamen, quæ ſomniarunt ſingula, volunt hîc eſſe: & videri palàm, quæ nuſquam ſunt. Negas videre te? Fremunt, ringuntur: *Cæcus es, & in peccatis natus totus.* Hæc omnes, hæc ſinguli: & in pugnantibus ſententiis ſinguli.cui fidem?cui? Scriptura in medio eſt, flecti prona, ab illâ à primordio in fingendis fabricandiſque erroribus facilitate. ergo ſinguli reluctantem ad ſe trahunt quacumque laciniâ. cerea eſt.: quas volunt formas mentiuntur,eaſq; damnatitias,vel Apoſtolorum coætaneas, vel poſteras, vel nouè ſomniatas. At à verâ & à primâ VERITATE impreſſa vna eſt, & vna tantùm. nulla in hac aduerſantia,pugnãtia nulla,non magis quàm in vno veroque Deo.

Accipe alterum: *Cænantibus autem eis, accepit* IESVS *panem, & benedixit, ac fregit, deditq́; diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite; Hoc eſt Corpus meū.* quale Corpus? *Quod pro vobis tradetur.* &: *Accipiens calicem gratias egit; & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim Sanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem*

Matth. 26.
1. Cor. 11.
Matth. 26.

nem peccatorum. Satiſne clara? Solis radio iures ſcripta. At Caluino Corpus hîc nullum eſt, Sanguis nullus. quid ergo? ſigna ſunt, nec aliud quàm emortua ſigna, & ſigna tantùm, Corporis Sanguiniſque ſui vacua, ſigna rebus ſuis inania. cui ego ſi loculos offeram auro vacuos, & addam: Caluine hîc aurum eſt, vtere: habes à manu meâ, Euangelio tuo dignum munus: inclamet autem ſe ludi, qui pro auro loculos habeat, nec aliud: an hominem pacauero, ſi cui aurum ſpopondi, auri ſigna dederim? Quid ſi eidem Gallici vini dolia Baccho ſuo ſpoliata? addamque verba munus cohoneſtantia: Habes Caluine, habes Beza vinum, quod nulli cedat Falerno: bibite & inebriamini amici mei. illi verò infrendeant, qui amicos circumuenerim doliorum inanitate. quibus ego: Quid indignamini? non vinum, vini ſigna volui: hæc dedi. non continuò vt ludionem, vt Dauum aliquem, vt Syrum comœdum, totis explodent theatris?

Et verò vt rem tãgam propiùs: quod Corpus traditum fuit pro nobis? Chriſti verum, an imaginarium? an veri ſignum? Si imaginarium, ſi ſignum, luſi ſumus: non eſt mortuus Chriſtus pro nobis, fruſtratis oculis Hebræorũ, qui pro vero Corpore, imaginarium ſuffixerunt, nec tam ſuffixerunt, quàm errarunt

runt oculis, Apuleianâ fabulâ circumuenti. ſed neque credendum erit in Crucifixum, niſi confiteri quis velit ſe credere in imaginarium Deum, in non Deum. Si verum, cùm illud Chriſtus dederit, Apoſtoli acceperint, comederint, quod tradendum erat pro nobis; clarè patet, non ſignum, ſed Corpus verum dediſſe Chriſtum, accepiſſe, comediſſe Apoſtolos. Iam quis Sãguis ſuſus eſt pro nobis? verus, an allegoricus? an aliquid de vacuâ parabolâ diſperſum præſtigioſo exitu? aut in alieno luſum ſanguine faſcinatis Iudęorum oculis, qui verũ ſe arbitrarentur fudiſſe, cùm ſigna, ſolaque Sanguinis ſigna prodegiſſent. hoc non eſt mendacio dimidiare, eſt totum Chriſtum mentiri. Totus Veritas fuit: verus ergo Sanguis fluxit pro nobis: at illum ipſum bibendum ſuis tradidit, illum aliquádo fundẽdum; verum ergo Sanguinem bibendum tradidit, qui non multò pòſt fundẽdum tradidit: verum etiam Sanguinem biberũt, cùm quem bibendum Chriſtus tradidit, biberũt. Nam ſi nihil præter Sanguinis ſignum biberunt, & tamen eum, qui pro nobis effundendus erat, biberunt; ſequitur hunc, qui pro nobis effuſus eſt, Sanguinis fuiſſe ſignum, non Sanguinem, & ſignum tantùm. bibiſſe verò Sanguinem, qui pro ſalute noſtrâ effundendus erat, ipſa VERITAS teſtatur: *Hic eſt enim*

Matth.26. *enim Sanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Illum Sanguinem bibēdum tradidit, qui pro multis effundēdus erat in remiſſionem peccatorum. at hic verus Sanguis fuit, verum ergo biberunt. fudit enim illum quem habuit: habuit verò, vt Corpus, ita Sanguinem verum. ſin ſecùs, nec quod vinculis ſtringeretur, crucifigeretur, moreretur, ſepeliretur, habuit. hoc ſi verum eſt, in eâdem, quâ antè, primi parentis damnatione ſumus. prodita ſpes noſtra eſt, & in ſalutis negotio luſi ſigno. ergo viuamus & bibamus, cras enim moriemur. Nam ſi verum Chriſtus Sanguinē non fudit, verè mortuus non eſt: ſi non eſt mortuus, nec reſurrexit. hoc ſi verum eſt, fruſtrà exſpectamus domicilium de cælo, gementes in hoc carcere, ac ſuperindui deſiderantes nobiliori: fruſtrà ſperamus veſtiri immortalitate, & continuare vitam labefactatâ morte, per vicariam certiorem demutationem: fruſtrà iam Inferi nouiſſimum quadrantem exacturi. denique ſigna omnia, verba, mendacium omnia, veritas nuſquam eſt. fabulæ. Secura eſtote caro & ſanguis, vſurpaſtis enim cælum, & regnum Dei in Chriſto. vexit ille in cælum arrhabonem carnis, pignus noſtræ aliquando ſecuturæ. nec tamen vexit, niſi quod antè erogauerat. vera omnia vexerat,

vera

vera erogauerat. Sed & time caro: nam & apud Inferos verè torqueri, etiam animas, nudas licet, & adhuc exules carnis, probauit epulonis exemplum ; quanto magis corpus hoc, oſſibus, carne, ſanguine ſubſtructum? nam fletus & dentium fragor in gehennâ comminatus, non niſi ex oculis & dentibus. Habuit ergo Chriſtus carnem ſanguine ſuffuſam, quæ mori nouerat, humanam nimirum & natam de homine. Hanc eamdem Apoſtolis dedit edendam, bibendam. manifeſta verba ſunt, & ab omni allegoriæ nubilo remota: quid in alium ſenſum, quid in imaginariam, & nouè excogitatam diſtorques ſignificationem? Scripturæ verba ſunt, non ſitiunt interpretationem à Caluini cerebro figulatam. &, vt non omni nubilo carerent; non ex vnius alteriúſve, poſt tot ſeculorum decurſiones, ſed ex præiudicio omnium ætatum, retegi deberent.

Venio ad Lutherum. Corpus & Sanguinem fatetur, ſed in ſumptioné ſolâ. antè profana res eſt, pòſt profana. Vbi ſcriptum eſt, *In ſumptione ſolâ*: & quando Corpus & Sanguis ſunt? cùm iam labra attingunt? cùm teruntur palato? cùm gutturi immerguntur? cùm innatant ſtomacho? quando? Et cùm Chriſtus panem fregit, verba protulit; *Comedite, Hoc eſt corpus meum*. erátne Corpus de-

nuntiatione hac factâ? an demutatio hæc non niſi inter Apoſtolicos dentes facienda? ergo adhuc panis erat, vinum erat, poſt diuinorum verborum enuntiationem. Datur ergo panis, porrigitur vinum, necdum Corpus, necdum Sanguis eſt. excipitur linguâ, nec ſic Corpus, nec Sãguis eſt: hauritur à gutture, & Corpus iam & Sanguis eſt. Quid ſi reiiciat guttur, quod admiſerat? redit panis, redit vinum. ſin reſumat? redit Corpus, redit Sanguis. toties ergo redit panis, redit vinum, quoties quod admiſerat, repulerit guttur; toties redit Corpus, redit Sãguis, quoties quod repulerat, admiſerit guttur. centies admiſerit, centies reddiderit, centies etiam abierit, centies redierit, panis, vinũ, Corpus, Sanguis.

Menno denique, vt ſemper, ita & hîc naturificatus ſpiritali conditioni, ſublimiora omnia cogitat, & ſugit ex his Scripturæ verbis araneus venena: non illa tentia, nulla erát, ſed ingenio prauo ſuo maloque fabricata. Incredibile illi videtur ſubſtantiam vnam ſubduci, meliorem ſurrogari; & quod illi incredibile, nec factum putat. ergo torquet in ſenſum ſuum, ac deſcendit propè in Caluini partem. niſi, vt aſſolet, ſublimius aliquid dicturus, ignorabilibus quibuſdam verbis, & à vulgari conſuetudine remotis, carnem, oſſa, ſanguinem, eximit ab hàc Scripturâ: ac neſcio

ſcio quàm cæleſtem hîc nebulam, è nebuloſo ſuo fingit figitque cerebro. *Littera* nimirum *occidit.* omnis ergo littera tollenda, ne occidat: ac quidquid hîc; adempto litterario corpore, nudè ſtatuendum, quaſi in primæuâ ſuâ cõditione, cùm adhuc incompoſitâ maſſali congerie, ſingula per veſtigia quædam, quaſi excorporificata continerentur. Si pergis quærere, & magnum illud reconditum curioſiùs inueſtigare; miris omnes ambagibus, verba, remque circumſcribunt. & ferè apud illos illud Theognidis: * Ἄλλο στόμ᾽, ἄλλο νόος. Quòd ſi quis inter illos, minùs cautus, tantum Sacramentum prodiderit, næ ille temerarius eſt: quaſi erubeſcat VERITAS retegi. erubeſcit abſcondi. vt iam olim ab Euripide dictum verè ſit: * Κλεπτῶν ἡ νὺξ, τῆς δὲ ἀληθείας τὸ φῶς. Denique rationem ſi poſcas nouæ interpretationis, nullam reperies aliam, quàm incredibilẽ Mennoni viſam hanc demutationem. quanta ratio! quâ etiam euincat nullum Chriſtum de Virgine corpus accepiſſe, ſi incredibile hoc Mennoni videatur: nullũ corpus cælo tranſſcribi; quò enim corpus, vbi eſui & potui locus non erit? ſed & nullas animas ſupereſſe corpori, ſi Mennoni ſolitaria hæc animæ vita incredibilis videatur. Demùm quæcumque Mennoni credibilia, vera eſſe; quæcumque incredibilia,

2. Cor. 3.

* *Aliud os, mens aliud loquitur.*

* *Furibus nox, ſed veritati lux.*

lia, de mendacio eſſe. omne ergo verum, mendacium omne, ita demum verum, aut mendacium fore, ſi Menno calculum ſuum adiecerit: neque verum iam vllum, nec mendacium erit, niſi quod de illius mente erit, aut cui ille inſcripſerit hanc notam: *Verum. Falſum.* ô Vatem! ô nouum terris Deum! à cuius nutu veritas & mendacium pendeant! de quo cum Libanio liceat: * Βουλήθητι μόνον, καὶ πάντα ἕψεται. O magnum Scripturarum præconem, qui nuſquam legerit, viderit, ſubſtantiarum naturarumque mutuas demutationes! mutatur Moſi manus: exanguis iam eſt & frigida: non & cadauer & mortua? recepto calore, colore refuſo, ſanguis & caro redit: an non & anima? mutatur & facies illius cornuta, retrò excornis. & Stephanus angelicum faſtigium induit. Dominus in ſeceſſu montis etiam veſtimenta luce mutauerat. & caro, caro hæc noſtra iam viuit, iam redit ad argillam ſuam, ad vagum puluerem; etiam in ſterquilinij beſtias, in quibus & venena ruminat; etiam poſt naufragia in aliquem piſcium cenſum; in culices, tineas, locuſtas, & formicas; in ſubterranea, in ſubaquanea, in veſperugines, & noctuas: demum in quas non refingitur beſtias? & poſt hæc omnia eadem caro ſurgit. quæque antè per tormenta laniata, quæ per ignes abierat in fauil-

Tantùm velis, & ſequentur cuncta.

ſauillas, coronatur. Nec tu mihi hîc cogita aliam carnem à priore, niſi Deum velis iniuſtum, qui aliam mercede donet, quàm quæ vicerit: aliam conſedere ſecum faciat in cæleſtibus, quàm quæ ſudauerit: quaſi alterius ſint præmia, quàm cuius fuerint agones. hoc enim arbitrari quid eſt, niſi de iuſtitiâ Dei ludere? Lutheranum pro Orthodoxo præmiare; Caluiniſtam pro Catholico coronare; pro Romano gratiam promerito, gloriam Deo Mennoniſtam dicere? quale hoc diuinę bonitatis & æquitatis documentum foret, ſi eadem per omnia anima, quæ in hac carne pugnauit, ſtetit, Deum didicit, Chriſtum induit, ſalutis ſpem ſeminauit, in aliâ neſcio quâ, fortè & Turcæ, fortè & Iudæi, metat fructum? Næ illa felix caro, peccati & blaſphemiæ caro, quæ ex delinquentiâ coronatur, cui ex ſceleribus vita conſtabit. æquè illa infelix, quæ cùm omnem hunc vitæ ordinem cum animâ decurrerit, alſerit, æſtuauerit, ſanguinem fuderit, demum neſcio ſub quâ animâ alienâ in ſpurcitiis volutetur, ab omni mercede, omni præmio diſpuncta. nimirum vt, quod dici ſolet, * ὑφάντου πταίσματος ἱππητὴς ἐτύφθη. Non cadũt hæc in Deum bonum, iuſtum. & exempla iam olim aliud docent. Idem fuit Lazarus poſt quatriduanum ſepulchrum & antè; idem filius poſt

*Ob textoris erratum ſartor vapulauit.

 ſicca-

ſiccatas matris lacrymas & antè; idem Chriſtus poſt monumentum qui antè: nec vllum ſepulturæ ſenium, Deo, aut poteſtatem adimit, aut bonitatem tardat. idem alter Lazarus, qui micas exſpectat de menſâ diuitis, & qui in Abrahæ ſinu ſaturatur. Eadem diuitis lingua deliciis madet, & punitur in flammâ, & de digito animæ felicioris exſpectat ſolatium roris: ita eadem per omnia caro, quæ ſæculo gaudente luxit, ſæculo lugente gaudebit: vt nulla iam ſit de ſcelere fortunata, de probitate miſera, cùm ſingulæ reſtituantur, vt pro meritis demeritiſve in hac vitâ vindicentur, aut præmientur in futurâ.

Et dubitamus adhuc, ſi eamdem Chriſti ſui carnem, Hebræorum ſuffigendam clauis, tranſadigendam lanceâ, & Apoſtolico ore manducandam tradere Deus potuit? ſi panem, ſi vinũ, in Corpus Sanguinemq; ſuum demutare? Moyſes Ægyptiam aquam virgâ percuſſam abire iubet in ſanguinem; idem amaram indulcauit in ſalutem, ligni attactu: & Ægyptum vniuerſam, hoſpitis populi conflictatricẽ, non decemplici demutatione percuſſit? & cùm manum in ſinum condit, & emortuam profert; & rurſus inſinuat, & viuidam explicat; non ingentium inuicem ſurrogatarum naturarum documenta præbet? & potentiores erunt Moſis virga, lignum, manus,

manus, Dei verbo? aut in alias res vertere formas naturaſq; ille potuit, non poterit Deus? poteſt ille virgæ attactu à primogeniis conditionibus quaſi retroagere res ſemel cõditas, ſemel creatas: & in alias flectere formas, naturas alias, non poterit Deus? & à quo potuit ille, ſi non à Deo? An qui alteri poteſtatem dedit, ademit ſibi? vt iam ſi eamdem parémve velit, emendicandam ſibi ſciat ab eo, cui dedit? Iam quid intereſt, in alienas cogat res abire naturas, an in ſuam? quid intereſt, an in nuptiis prima poteſtatis ſuæ rudimenta auſpicatus, aquam mutet in vinum; an in teſtatoriâ Cœnâ diuinæ poteſtatis magnitudinem clauſurus, vinum vertat in Sanguinem? Remediatur aquam de amaritudinis vitio lignum Moſis; laudantur hydriæ, quæ acceptam aquam de fonte, vinum reddiderunt inuitatis: & negabimus Deo vini in Sanguinem, panis in Corporis ſui demutationem? Denique ad explendam omnem curioſitatem: qui panẽ de tritico, de ſemine, de terrâ, de nihilo, qui vinum de torculari, de vineâ, de vuâ, de cæli rore, de terrâ, de nihilo dedit; non potuit panis & vini ſubducere ſubſtantias qui illas dederat? non poterat ſubductis prioribus alias ſurrogare? ſi alias, cur non ſuam? aut minor poteſtas Domini in Corpus Sanguinemque ſuum, quàm in alienum?

maior in alieno quàm in ſuo? maior in numquam enatâ, numquam antè productâ, creatâ; quàm in ſemel natâ, productâ, creatâ ſemel? aut difficultatem mouet, eiuſdem rei portentoſa reproductio? Quid maius ad miraculum, de nullâ anteceſsâ materiâ orbem firmare, & quem videmus orbem cum omni alimentorum ſuggeſtu, an ex argillâ carnem Adæ, ex huius coſtâ muliebre corpus? aut an rem ſemel ſtatutam, ſemel ſtabilitam, iteratò ſtatuere, ſtabilire? An infracta diuina poteſtas eſt? & in vnius productione exhauſta, vt iterare nõ poſſit, quod antè fecerat? Conditur res, defluit, & in matricem ſuam redit argillam; accedat imperiũ Conditoris, redit in formam veterem. ſi redire poteſt, quod deſierat, & iam non erat; cur non poterat ſemel producta, aliis aliiſque reproduci locis? elumbatur nimirũ manus Domini poſt productionem; & quæ antè poterat, iam non poteſt? quæ reuocare deperditum poterat, non poterit ſtantem repetitâ poteſtate aliis firmare locis? Habemus ſinguli potentiæ huius domeſticum exemplum, & ſtamus cæci, tamquam de naturâ talpæ aut noctuæ percuſſi. Anima hæc, quâ viuimus, tota corporis ſui partes implet, tota manum occupat, tota pedes, tota caput, reliquaque tota: tot locis tam diſſitis vna anima, & tota in diſſitis. eadem

dem pedes,eadem tota manus animat, vtrobique tota : & tamen manus & pedes diſtincta partialibus locis.

REDAN. Sed vnius corporis membra ſunt.

LIPS. Sunt planè. partialibus tamen locis ſuis diſcreta ſunt: magiſque mutuum diſſident, quàm panis & vinum in illâ miraculorum patratoriâ Cœnâ, à Chriſti corpore, cùm diceret: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix Sanguinis mei.* An tu arbitraris animam illam,quæ in manibus eſt; illi quæ in pedibus eſt, tamquā filamento per corpus ducto,colligatā? aut vnā animam per corpus extēſam, totū quod animat occupare,vt butyrū,quod in panis fruſto mater explicat filio; aut oleū, quod frigendis piſcibus diffundit in ſartagine? quamquā quid intereſt,diſtet,non diſtet, ſeiungatur,an amico vinculetur nexu : minimum in potentię explicatione eſt diſtare,aut iungi. Qui poteſt eamdem rem intra limites ſex, ſeptem , decem pedum, aut in gigantæâ mole etiam viginti, etiam centum , ſtatuere in ſingulis partibus eamdem,& totam in ſingulis, variiſq; partialibus totam & eamdem, in capite,manibus,pedibus;quid vetet, quin idem faciat in diſſitis ,iteratâ rei productione? Diſſitum aut indiſſitum eſſe, dabit, aut viduabit potentiâ Deum? quantula res eſt

coniunctio aut diſiunctio, ſi rem ipſam cogitas? Locus alius eſt, locatio alia: quid locus, quid locatio ad rem locatam? Qui maiora poteſt, ad minora palleſcet? aut negabimus minima, cui concedimus ſumma? Non maius fuit animam hanc de nihilo creare, nullâ antè iacente materiâ, quàm creatam iam, alibi firmare, aut iteratâ productione alio loco ſtatuere, ac pluribus etiam, ſi lubuerit? ſæpè deperditam, etiam nullam, reſtituere poſſet ſibi, mundo, corpori; cur non eamdem ſibi locis aliis, ſimulque variis? cogita numquam creatam, numquam factam; poterit creare, poterit facere? nullo loco poſitam, poterit aliquo? hæc creatio, factio, poſitio in vno, quid detraxit omnipotentiæ? detraxit, ſi negatur productio, quæ conceſſa antè. An neſcis nullis terminis claudi, nullis limitibus circumſcribi Dei potentiam? non fatigari opere? non exhauriri? Orbem hunc verbo ſtatuit, poteſt alterum, poteſt plures, poteſt mille verbo vno: parique conditorio verbo cogere ad priſtina; iteratoque factorio verbo, erigere in hanc, quam videmus, amplitudinem, millieſque deperditam, millies erigere: cur non & erectum, alibi firmare, variiſque locis eumdem? eumdem per omnia, niſi quòd locis tunc diſtinctus, diſcriminatus ſitu, nec re aliâ. O te fatuum, ſi non aſſequeris; aut
inſi-

Digitized by Google

inſigni maleuolentiâ, ſi quæ aſſequeris, infi-
ciaris! & vt non aſſequaris, an ideò de men-
dacio res erit? aut cogitationibus tuis, inge-
nio tuo, circumſcripta Dei potentia eſt? vt
cerebri tui limites non tranſiliat, quem cæ-
lum & terra non capiunt?

Fuſiùs hæc paullò, quàm inſtituti ratio
poſceret. Sed cùm vbique primus iſte de Do-
minico Corpore aries à nouis ſæculi noſtri
Euangeliſtis in nos temperetur, ad Romanæ
Eccleſiæ dogmata quaſſanda; operæpretium
putaui, non tranſire irrepercuſſum id, in quo
ſcirem ſimpliciũ multorũ ſenſus inquietari.

Hoc tamen hîc (& finio) ex te audiam,
quis horũ trium, Lutherus, Caluinus, Men-
no ex vero, quis ex mendacio, Scripturæ ver-
ba, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*, Mar. 14.
intellexit? Omnes ex vero non potuerũt. ne-
que enim adeò aduerſantia ab vno Veritatis
ore veniunt. quis ergo? quis Scripturæ huius
mentem aſſecutus? Lutherus? negat Calui-
nus: Caluinus? negat Lutherus: Menno? ne-
gant priores. quem ergo ex his de vero, quem
de mendaci Scripturæ ſenſu iudicabimus?
aut cuius erit hoc iudicium? noſtrum? repel-
limur. Lutherum Caluinus excludit, hunc
ille non admittit, Mennonem neuter recipit.
Cuius ergo? Scripturæ? nuſquam in eâ lego,
Lutherum Scripturæ mentem expreſſiſſe,
nuſ-

nuſquam Caluinum, nuſquam Mēnonem; & tamen hoc neceſſum fuerit, ſi in omni quæſtione natâ, decurrendum ſit ad Lydium illum lapidem: *Vbi ſcriptum eſt?* Nam quod ſinguli clament Scripturę mentem ſe expreſſiſſe; cauſſa nulla eſt, cur vni potiùs aſſentiar quàm alteri. omnes dicunt, dicunt ſinguli, damnantque inuicem expoſitiones mutuas; & dum damnant, damnationem hanc volūt venire à Spiritu ſancto, æquè atque expoſitiones ſuas. ô ſpiritum non ſanctum, à cuius labris, tamquam fonte, fluunt ex diametro pugnantia. Sin verò non omnes à Spiritu ſancto, ſed vnus; & vnius expoſitiones, non omnium; redeo ad toties repetita, cuius? Lutheri? cur non Caluini? Sed verba clara ſunt. Etiā Caluino clara & die ipſo lucidiora ſunt; etiam Mennoni meridies hîc eſt; nec vllæ nebulæ, niſi lippientibus, Scripturæ huius diem aut adimunt, aut nubilant. Denique omnes in his Scripturæ verbis (idem de reliquis cogita) Solem vident in ſenſu ſuo, noctem in alieno. cui ergo hunc Solem, cui noctem tribuam? Tu aude, & audentiæ cauſſam adnecte: & cauſſam, quam reliqui non aſſcribant ſibi, certi de hac cauſsâ, vt à Spiritu ſancto dictatâ.

REDAN. Quanta tu hîc de noſtrorum opinionibus, tamquam nouitiis; cùm non defue-

defuerint ex illis ipſis, quos tu tibi tuiſque arrogas, qui nobiſcum ſenſerint, veteres & è primis tuorum.

LIPS. Vnum tu, ex omni antiquitate vnum, qui cum tuis ſenſerit: recenſe omnes. nuſquam reperies Lutheri, Caluini, Mennonis ſpongiâ, quam ex Euangelio aſſerui, deterſam Veritatem. Intuere ætatum faſtos, & videbis ea, quę à Patribus tradita ſunt, omnem deinceps poſteritatem hereditariâ religione cuſtodiuiſſe; nec ad latū quidē crinem deflexiſſe. Et verè in denſiſſimò tu hîc errore es, cùm opinationes tuorū, veterū exemplo, aſtruere conaris. Vis huic mederi? potes. quid ceſſas? intuere Eccleſiæ Principes, fallor, ſi non nobiſcum ſentiunt, omnes, ſinguli. aggredere tantùm hanc diſcuſſionem. non à terrarum vltimis petenda hæc tibi ſidera; in omniū manibus ſunt, quæ, pulsâ nocte, diem tibi reddant. Hæres? Cùm periculo vrgeris, cùm febribus vreris, cùm dolore laceraris, decurris ad medicum, notum ſubſidium: & negabis animæ, quod tanto conatu indulges corpori? Ceruus ſagittâ transfixus ſcit ſibi dictamno medendum: hirundo excæcatos pullos, chelidoniâ ſuâ nouit oculare: tu Patrum accuratiore indagatione cùm poſſis excutere hauſta de nouitio calore venena, præteribis? Rape oblatam occaſionem, perſcrutare,

tare,lege: vt ille tu, nihil nunc penes Deum, præterquam truncus aridus in emortuo hoc tuo Sacramenti ſigno,arbor fias, quæ in foliis & fructibus perennet, quæ nec ignem, nec Domini videat ſecurim;cùm Maiorum vbera, Apoſtolico lacte grauida,ſuxeris táquam rorem,terra iam fertilis. Et vt te parte aliquâ leuem hac curâ,pręmandam quędam, viamque ſternam ad reliqua, cùm videam te id velle.Seligam ergo ex omni veterum numero, quos tu ipſe delegeris, ſi quis optionem dederit.

Catech. 4. myſtag. *Anno* 370.

Primus ex hoc delectu Cyrillus Hieroſolymitanus: Τὸ ὕδωρ ποτὲ εἰς οἶνον μεταβέβληκεν, ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, οἰκείῳ νεύματι· καὶ οὐκ ἀξιόπιστός ἐστιν οἶνον μεταβαλὼν εἰς αἷμα; εἰς γάμον σωματικὸν κληθεὶς, ταύτην ἐθαυματούργησε τὴν παραδοξοποιΐαν· καὶ τοῖς υἱοῖς τοῦ νυμφῶνος οὐ πολλῷ μᾶλλον τὴν ἀπόλαυσιν τοῦ σώματος αὐτὸς αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος δωρησάμενος ὁμολογηθήσεται; ὥστε μετὰ πάσης πληροφορίας, ὡς σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνωμεν Χριστοῦ. ἐν τύπῳ γὰρ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα· καὶ ἐν τύπῳ οἴνου, δίδοταί σοι τὸ αἷμα. ἵνα γένῃ, μεταλαβὼν σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ, σύσσωμος καὶ σύναιμος αὐτοῦ. οὕτω γὰρ καὶ Χριστοφόροι γινόμεθα, τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος εἰς τὰ ἡμέτερα ἀναδιδομένου μέλη. Paullò pòſt: Μὴ πρόσεχε οὖν ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ· σῶμα γὰρ καὶ αἷμα

Χριστοῦ

Χριστοῦ καὶ τῆς δεσποτικὴν τυγχάνει ἀπόφασιν. εἰ γὰρ καὶ ἡ αἴσθησίς σοι τοῦτο ὑποβάλλει, ἀλλὰ ἡ πίστις σε βεβαιούτω, μὴ ἀπὸ τῆς γεύσεως κρίνης τὸ πρᾶγμα, ἀλλὰ ἀπὸ τῆς πίστεως πληροφορoῦ ἀνενδοιάστως, σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ καταξιωθείς. *Aquā aliquando mutauit in vinū, in Canâ Galilææ, ſolâ voluntate: & nō erit dignus, cui credamus, quòd vinū in ſanguinem mutaſſet? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus ſtupēdum miraculū operatus eſt, & non multò magis Corpus & Sanguinem ſuum filiis ſponſi dediſſe illum confitebimur? Quare cum omni certitudine Corpus & Sanguinem Chriſti ſumamus. Nam ſub ſpecie panis datur tibi Corpus, & ſub ſpecie vini datur Sanguis; vt ſumpto Corpore & Sanguine Chriſti efficiaris ei comparticeps Corporis & Sanguinis. Sic Chriſtophori erimus, hoc eſt, Chriſtum ferentes, cùm eius Corpus & Sanguinem in membra noſtra receperimus.* & infrà: *Ne ergo conſideres tamquam panem nudum, & vinum nudum: Corpus enim eſt & Sanguis Chriſti, ſecundùm ipſius Domini verba. Quamuis enim hoc ſenſus tibi ſuggerit, tamen fides te confirmet, ne ex guſtu rem iudices: quin potiùs habeas ex fide pro certiſſimo, ita vt nulla ſubeat dubitatio, eſſe tibi donata Corpus & Sanguinem.* Si vt aquam in vinum mutauit, ita vinum in ſanguinem, quid hæres? neque in illâ mutatione ſignum fuit vini

vini, Corporis ſui viduum, nec in hac ſignum ſanguinis, corporis ſui vacuum: niſi Scripturam & Cyrillum de mendacio damnes. Iam ſi qui videtur panis, non eſt panis, quid erit? Signum? nudum, an in pane? ſi in pane, panis hîc eſt ergo. at Cyrillo, non eſt panis, non eſt vinum: fallit oculus, fallit guſtus. Corpus eſt & Sanguis Chriſti, fortunatiſſimâ oculorum & guſtus fallaciâ. Verùm tu, ex Caluino tuo, ſola hîc vis ſigna, & credētibus hęc proponis. O egenas mendicitates! grauida nobis verba, & Sacramenta Deo plena propoſuit Chriſtus. nimirum ſupra Cyrillum Caluinus ſapit. Clamat Cyrillus; *Vinum in Sanguinem tranſmutauit: ſub ſpecie panis datur tibi Corpus; ſub ſpecie vini datur Sanguis. Corpus hîc eſt, & Sanguis Chriſti.* clamat Caluinus; Nec Corpus hîc eſt, nec Sanguis eſt Chriſti. ſignum tantùm Corporis & Chriſti Sanguinis eſt. Clamat Cyrillus: *In nuptiis pro aquâ vinum propinatum; in Sacramento, Corpus & Sanguinem Chriſti, pro pane & vino.* Si ibi miraculum concedis, quid hîc negas? niſi arbitreris etiam in nuptiis Chriſtum conuiuas & Architriclinum potaſſe mendacio.

Diſertè in eâdem re Gregorius Nyſſenus:
Orat. catech. c. 37. *Anno* 380. Ἐνταῦθά τε ὡσαύτως ἄρτος, καθώς φησιν ὁ Ἀπόστολος, ἁγιάζεται διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως· οὐ διὰ βρώσεως καὶ πόσεως προϊὼν εἰς τὸ σῶμα γενέσθαι

νέαδς τοῦ λόγου· ἀλλ' εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα διὰ τοῦ λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται ὑπὸ τοῦ λόγου, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. *Et hic ſimiliter panis, ſicut dicit Apoſtolus, ſanctificatur per verbum Dei & orationem: non eò quidem, quòd cibo mediante in Verbi corpus euadat; ſed quòd ſtatim per verbum in corpus tranſmutetur, ſicut dictum eſt à Verbo: Hoc eſt Corpus meum.* Panem & vinum immutari vult in Corpus & Sanguinem Chriſti. non immutatur, ſi ad præiacentem materiam nuda accedat ſigni notatio. & virtute benedictionis naturá vult mutari: non adnectit nudum ſignum rei prę-exiſtenti, & porrò perſeueranti: potuit clariùs Corpus & Sanguinem aſſerere? Si enim panis per verbum in Corpus mutatur Domini, tranſeat neceſſum eſt in aliud à ſe corpus; in illud nimirum, in quod mutatur. nam ſi non tranſit, non mutatur in aliud. neque ſolius ſigni acceſſione in aliud mutatur corpus. neque enim ſignum corpus eſt, in quod mutatur: cùm ergo mutetur in aliud corpus: nec aliud ſit in quod mutetur quá Domini Corpus, neceſſum eſt mutari in illud, nec vltrà ibi panem eſſe, ſed Domini Corpus. Sed neque ſolius ſigni denotatione aliud ibi figulatur, aliud formatur corpus. quaſi panis aliud ſit corpus ante ſigni deſignationem, & poſt eandem deſignationem tranſeat in aliud corpus;

cùm ſigni deſignatio corpori extranea & peregrina, nullam illi rem nouam imprimat, aut mutationē inducat corpori. docebit nos tenuis frutex, ſed huic non vile documentum. Hedera non aliud corpus eſt, cùm nullo præeunte parietibus inuehitur textili ſiluâ, & cùm in deſignationem vendibilis vini deſtinatur. idem corpus vtrobique; neque humana hæc deſtinatio mutauit corpus. neque dixerit quiſquam, aliam hederam, fruticem, & corpus aliud eſſe, quod ibi parietibus conatu ſuo, hîc poſtibus ſuſpenditur humanâ manu.

Homil. 24. in 1. ad Corinth. c. 13. *Anno* 400. Chryſoſtomus etiam clarè: Τὸ *ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ* Χριστοῦ *ἐστι; σφόδρα πιστῶς καὶ φοβερῶς εἴρηκεν. ὃ γὰρ λέγει, τοῦτό ἐστιν· ὅτι τοῦτο τὸ ἐν ποτηρίῳ ὄν, ἐκεῖνό ἐστι τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν, καὶ ἐκείνου μετέχομεν. ποτήριον δὲ εὐλογίας ἐκάλεσεν, ἐπειδὴ αὐτὸ μετὰ χεῖρας ἔχοντες, οὕτως αὐτὸν ἀνυμνοῦμεν θαυμάζοντες, ἐκπληττόμενοι τῆς ἀφάτου δωρεᾶς, εὐλογοῦντες ὅτι καὶ αὐτὸ τοῦτο ἐξέχεεν, ἵνα μὴ μείνωμεν ἐν τῇ πλάνῃ· καὶ οὐ μόνον ἐξέχεεν, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν ἡμῖν αὐτοῦ μετέδωκεν. ὥστε εἰ αἵματος ἐπιθυμεῖς, φησι, μὴ τὸν τῶν εἰδώλων βωμὸν τῷ τῶν ἀλόγων φόνῳ, ἀλλὰ τὸ θυσιαστήριον τὸ ἐμὸν τῷ ἐμῷ φοίνισσε αἵματι. τί τούτου φρικωδέστερον; τί δὲ φιλοστοργότερον; εἰπέ μοι. τοῦτο καὶ οἱ ἐρῶντες ποιοῦσιν. ὅταν ἴδωσι τοὺς ἐρωμένους τῶν ἀλλο-*

ἀλλοτρίων ἐπιθυμοῦντας, καὶ τῶν οἰκείων καταφρονοῦντας· τὰ αὐτῶν διδόντες πείθουσιν ἀποστῆναι τῶν ἐκείνων. ἀλλ' οἱ ἐρῶντες μὲν, ἐν κτήμασι, καὶ χρήμασι, καὶ ἱματίοις ταύτην ἐπιδείκνυνται τὴν φιλοτιμίαν, ἐν αἵματι δὲ οὐδεὶς οὐδέποτε. ὁ δὲ Χριστὸς καὶ ἐν τούτῳ τὴν κηδεμονίαν ἐπεδείξατο, καὶ τὴν θερμὴν περὶ ἡμᾶς ἀγάπην. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? valdè fideliter dixit & terribiliter. Hoc eſt autem quod dicit: Id quod eſt in calice, eſt id quod fluxit è latere, & illius ſumus participes. Calicem autem benedictionis vocauit, quòd eum habentes in manibus, ſic eum hymnis & laudibus proſequimur admirantes, ineffabile donum ſtupentes, benedicentes, boniſq́; verbis proſequentes, quòd eum ipſum effudit, ne maneremus in errore: & non ſolùm effudit, ſed etiam eum ipſum nobis impertiit. Quamobrem ſi ſanguinem, inquit, cupis, non idolorum aram brutorum cæde, ſed meum altare meo cruenta Sanguine. Quid eſt hoc horribilius? quid autem amabilius? dic quæſo. Hoc faciunt etiam, qui amant. cùm viderint eos, quos amant, aliena concupiſcere, & propria deſpicere; ſua dantes perſuadent vt abſtineant ab iis, quæ ſunt illorum. ſed qui amant quidem, in poſſeſſionibus, pecuniis, & veſtibus ſuam oſtendunt liberalitatem & magnificentiam: in ſanguine autem nullus vmquam.*

 Chri-

Chriſtus autem etiam in eo ſuam noſtri oſtendit curam, & ardentem in nos charitatem. Cùm verus Sanguis fluxerit è latere, & ille in calice ſit, qui fluxit è latere; verus erit Sanguis in calice: neque iam in ſigno tantùm, cùm ſanguis non ſignum fluxerit è latere. Neque ſigni tantùm participes ſumus, ſed illius, quod fluxit è latere. aut ſi ſigni ſolius participes ſumus, ſignum non ſanguis fluxit è latere. Denique Chriſtus non Sanguinem *ſolùm effudit, ſed etiam ipſum nobis impertiit.* ipſum ergo, quem effudit, impertiit. at ſi ſignum tantùm impertiit, non ipſum impertiit, quod effudit: neque enim ſignum, ſed effudit ſanguinem. Alterum ergo fatearis: cùm Chriſtus ipſum ſanguinem, quem effudit, impertierit; aut ſolum ſignum effudiſſe, aut ſi ſanguinẽ effuderit, eũdem impertiiſſe.

Lib. 4. Orthod. fidei, cap. 14. *Anno* 730.

Ad extremum, quid in totâ hac re ſentiendũ, pulchrè Damaſcenus: Οὐκ ἔστι τύπος ὁ ἄρτος καὶ οἶνος τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ· μὴ γένοιτο· ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου τεθεωμένον, αὐτοῦ τοῦ Κυρίου εἰπόντος· τοῦτό μου ἐστι, οὐ τύπος τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὸ σῶμα, καὶ οὐ τύπος τοῦ αἵματος, ἀλλὰ τὸ αἷμα. *Nec verò panis & vinum Corporis Chriſti figura ſunt (abſit enim hoc) verùm, ipſummet Domini Corpus diuinitate affectum: quippe cùm Dominus ipſe dixerit: Hoc eſt, non Corporis figura, ſed Corpus; nec*

Sangui-

Sanguinis ſigura, ſed Sanguis. De vaticinio hæc cenſura eſt. & non in hæc tempora deſpexiſſe Damaſcenum arbitreris? & paucis verbis omnem Caluini iugulaſſe, nouitiumque ſenſum tuum? Tu panem & vinum vis Chriſti figuram, Damaſcenus negat. tu Domini verba, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*, rapis in figuram Corporis & Sanguinis Domini: Damaſcenus eo ſenſu capienda negat; ſed ipſum vult ibi Corpus & Sanguinem Domini eſſe, non figuram. qui hanc negat, ſignum negat: idem namque figura & ſignum. Potuit aliquid diſertius? Non addam plura. Nolo ad hunc Solem faculam. Hæc Græci.

Latini etiam diſertè eadem amplexi. Cyprianus, magnum Africæ lumen: *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus, omnipotentiâ Verbi factus eſt caro: & ſicut in perſonâ Chriſti humanitas apparebat, & latebat diuinitas; ita Sacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe infudit eſſentia.* Si non effigie, ſed naturâ mutatus eſt panis, non ſolâ ſigni acceſſione locupletatus eſt: cùm ſigni acceſſio nullam inducat naturarum mutationẽ. Si deinde omnipotẽtiâ Verbi panis factus eſt caro, non ſigni tantùm, ſed naturarum factus eſt tranſmutatione. Quis Cypriani ſenſum non vi- Serm. De Cœnâ Domini. *Anno 250.*

deat in meridie? noctuat, quiſquis hîc tenebreſcit Sole medio. nam ſi ſolâ aduentitiâ muneratione creuit panis, non in naturam huius tantùm, ſed & in effigiem tranſiit. neque enim natura effigie nudata ſignum eſt Corporis & Dominici Sanguinis, ſed externâ veſtita effigie,& accidentibus ſuis diuitata.

Sequitur Ambroſius clarũ Latij decus, rerum vbique & verborũ ſcientiâ diuitiſſimus. *Si tanta vis eſt in ſermone Domini* IESV, *vt inciperet eſſe quæ nõ erant: quãtò magis operatorius eſt, vt ſint quæ erãt, & in aliud cõmutentur? Cælũ non erat, mare nõ erat, terra nõ erat. ſed audi dicentẽ: Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt. Ergo tibi vt reſpondeam: non erat Corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi, quòd iam Corpus eſt Chriſti. ipſe dixit, & factũ eſt.* &c: *Ergo didiciſti quòd ex pane Corpus fiat Chriſti; & quòd vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit Sanguis conſecratione verbi cæleſtis.* Potuit aliquid explicatiùs? Etenim ſi ex pane fit Corpus Chriſti, &, quod mittitur in calicem vinum, fit Sanguis Chriſti; nullum panem, vinum nullum, poſt conſecrationem reperies: verum ergo Corpus & Sanguinem reperies Chriſti. neque Ambroſium de ſacramẽtalis alicuius ſigni acceſſione, ſed de naturarum agere demutatione, vniuſque

De Sacramen. lib 4. cap.4. *Anno* 370.

in

in alteram tranſitione, ipſe mihi locuples teſtis erit. *Forte dicas: Aliud video, quomodo tu mihi aſſeris, quòd Chriſti Corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc ſupereſt, vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus, non hoc eſſe, quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit: maioremq́ vim eſſe benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur? Virgam tenebat Moſes, proiecit eam, & facta eſt ſerpens.* nec multò pòſt: *Quod ſi tantùm valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicemus de ipsâ conſecratione diuinâ, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operantur?* &c: *Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat; non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus eſt, nouas rebus dare, quàm mutare naturas.* Si in pane & vino poſt benedictionem non eſt quod natura formauit; ergo poſt benedictionem, nec panis, nec vinum erit. Hæc enim natura formauerat: aut quid in pane, quid in vino antè natura formauerat, quod poſt benedictionem non eſt? Iam ſi benedictione natura mutatur, nō tantùm ſacramentale ſignum priori naturæ accedit; cùm ſigni acceſſio non inducat naturæ mutationem. Demum humanam benedictionem, naturarum ſecuta eſt mutatio: docet exemplo Moſis. Ergo quæ potuit Mo-

ſes,non potuit Chriſtus? O Diuinam potentiam, humanâ mendiciorem! contemptibilem nunc,quia fractam in naturarum vicariâ mutatione; cùm ad vnius imperium Moſis aqua mutatur in ſanguinem, & ad Dei operatorium verbum vinum non poteſt mutari in ſanguinem? virga mutatur in draconem, & non poteſt panis in carnem? & cùm magicarum virgarum deuoratio de mendacio, de prçſtigiis non fuerit, panis & vini in Corpus Sanguinemq́; Domini de mendacio erit?

Nec minùs eleganter Auguſtinus, artifice ſemper Dialecticâ nobilis: *Mediatorem Dei & hominũ hominem* CHRISTVM IESVM, *carnem ſuam nobis manducandam bibendúmque Sanguinem dantem, fideli corde atque ore ſuſcipimus: quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere; & humanum ſanguinem potare, quàm fundere.* Quis hîc horror videri poteſt,ſi ſola ſigna,& emortua mãducamus & bibimus ſigna? quis horror, ſi nulla hîc caro, ſanguis nullus? & preſſiùs etiam alibi: *Et quia in ipſâ carne hic ambulauit, & ipſam carnem mãducandam nobis ad ſalutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adorauerit; inuentum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, vt non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Ergo ſi quod adora-

Lib. 2. cõtra aduerſ. Legis & Prophet. c. 9.

In Pſal. 98.

adorauit manducat,& illud manducat quod antè adorauit,nec aliud quàm quod antè adorauit;Carnem Sanguinemq́; verum mãducat.Carnem enim Sanguinemq́; verum,non nuda adorauit ſigna: nec vos ſigna adoranda putatis; & omnem ſignorum adorationem ab idololatriâ vultis venire deſpectrice omnis diuinitatis.

Accedit,quem non amoliaris quocumque molimine, Eucherius Lugdunenſis: *Quando benedicendæ verbis cæleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, antequam innouatione ſummi Numinis conſecrentur; ſubſtantia illic eſt panis & vini: poſt verba autem Chriſti, Corpus & Sanguis eſt Chriſti. Quid mirum autem eſt, ſi ea, quæ verbo creare potuit, poßit creata conuertere? Imò iam minoris videtur eſſe miraculi, ſi id quod ex nihilo agnoſcatur condidiſſe,iam conditum in melius valeat commutare.* Si creatarum hîc rerum mutua conuerſio, ſi commutatio eſt, nec alterius quàm panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti eſt; quid ſtamus dubij de Eucherij ſententiâ? ac ſi in primordio vera fuit, non adumbrata aut in ſigno naturarum creatio; vera etiam in hoc Sacramento naturarum demutatio eſt. Homil. 5. De Paſcha. *Anno* 450.

Hæc Patres, quorum verba dedi. & paſſim eadem Græci ac Latini, qui de tremẽdo

hòc Sacramento ſcripſerunt. Vbi eſtis φιλαρ-χαῖοι? amatis adhuc pudendas Caluini tenebras, tot Solibus, tot lucentibus ſideribus? aut etiamnum te tenet fatua dubitatio, qui ex ſenſu de vltimâ fæce imperitorum, miraris Deum tenui circūſeptum panis viniq́ue tegmine; ac ſub tam vili, tantuloq́ue extimo naturarum illarū ambitu latere Deum? Habe ab exordio rerum, in diſſimili licet re, quod te doceat. animæ immortali, miſellum hoc Deus circumgelauit mortale corpus initio figulationis ſuę. Quid externa quęro? an non ſeipſum? fuitne miraculum minus Virgineo claudi vtero, vbere lactari? Deum claudi, lactari vtero, vberéq;, claudi, lactari? tot menſibus cæco carcere claudi, tot lactari? quid igitur mirum ſi ſub panis viniq́ue velamine lateat Deus? ſi ſe quaſi hoc claudat ambitu, quē non cæli, non terra capiunt? Quid quod eſurit ſub Diabolo, ſitit ſub Samaritanâ, lachrymatur ſuper Lazarū, trepidat in horto, ſanguinemq́ue in cruce fundit? & Deus vbique. Quid exempla querimus à Deo, domeſticis diuites? In reſurrectione cuiuſque noſtrûm, cùm ſurget hæc caro ſparſa per orbem, tot viciſſitudinibus altera, & non iam caro, non diuinæ potentiæ ſat magnum documentum eſt, redhibentibus in illâ die magnâ, carnem, ignibus, vndis, ferarum aluis,
rumis

rumis alitum, lactibus piſcium, & ipſorum temporum propriâ gulâ? & hæremus adhuc de potentiâ dubij?

Libaui ex innumeris propè, duo hæc Scripturæ loca, & in iis pugnantem tuorum ſenſum. Idem reperies in vtriuſque Inſtrumenti corpore, è quo ſinguli Euangelia ſua defruſtarunt. In tam immani ergo aduerſantium ſententiarum varietate, quò te, conſiliaque tua, in ſalutis negotio vertes? ad SCRIPTVRAM? iam dixi ſingulos hanc prætexere, tamquam palmam victoriæ ſuæ. Ad aliud igitur decurrendum, quod refragari non liceat: ECCLESIÆ hoc erit iudicium, & ECCLESIÆ Domini ſententiâ ſupra petram firmatæ, omniumque retrò ſæculorum teſtatione, de Dominicâ prerogatiuâ prælatæ: ad vniformem deinde PATRVM CONSENSVM: denique ad TRADITIONVM REGVLAM, ætatis infracto decurſu omnem nouitiam hanc tuorum percuſſionem deflantem vt paleam. Hæc enim illa eſt, quæ omnem aduerſariam aciem franget inuido ſæculorũ robore: explicet illa licet inimica ſigna ſua, auxiliariis firmata copiis, ſtabit interrita TRADITIONIS REGVLA. videbiſq; hâc rupẽ ridentẽ hoſtilem pharetrã, excutientem iacula vt plumas, frangentẽ incurſantes fluctus vt mollioris elemẽti luſum.

CA-

CAPVT VI.

In Deum blaſphemi.

Blaſphemiæ, quibus Euangelium ſuum Lutherus, Caluinus, Menno, tamquam gemmis variegarunt, non cadunt in Apoſtolicæ Fidei denuntiatores.

Luther. in Pſal.22.

ORDIOR à Luthero. *Quid ergo dicemus? ſimul Chriſtum ſummè iuſtum, & ſummè peccatorem? ſimul ſummè mendacem, & ſummè veracem? ſimul ſummè gloriantem, & ſummè deſperantem? ſimul ſummè beatum, & ſummè damnatum? niſi enim hoc dixerimus, non video, quomodo à Deo ſit derelictus.*

Hæc hominis, & Chriſtiani hominis, & Apoſtolici viri ſunt? & emortui Euangelij, ac reſurrectionem de fœtenti ſepulturâ deſperantis, reſtauratoris? ille diſperſa annis mille quingentis Euangelij recorporabit oſſa, veſtietque carne & ſanguine, natiuoque colore pinget? O infelicem, omnique Hermogene pictorem nequiorẽ; qui cùm diem vellet, noctem pinxit, & pro Sole tenebras adumbrauit. & ego credam hunc cælo miſſum? credam à Veritatis penicillo fluxiſſe hos in Dei Filium blaſphemiæ colores? po-

terat tenebrarum princeps omni infernali crapulâ deuomere blaſphemiora? Et tamen audiri hæc, vt lucem nouam, vt cælo iaculata munera? non quidquid ignium, quidquid vſquam tormentorum eſt, inuolare in execrandum hoc caput?

Pergit: *Omnes Prophetæ hoc in ſpiritu de Chriſto præuiderunt, quòd Chriſtus futurus eſſet, omnium maximus latro, homicida, fur, ſacrilegus, blaſphemus.* Tom.4. In cap.3.ad Galat.

Hæc dici & audiri? nec decinerari hanc linguam Sodomæo imbre? non ſubduci terram pedibus, blaſphemiæ pondere fatigatam? horreat tam infanda in Deum deſpuere omnis inferni impietas, quæ nouus orbi Apoſtolus non veritus fuit blaſphemâ manu, Gomorrhæum ignem promerita, ſpargere. Et qui Prophetæ hæc de Chriſto? qui? vnum tu nobis, vnum aliquem, vnum. aut ſi hi tui in Deum de Cerbereis faucibus latratus ſunt, de iiſdem, Euangelium quod ſpódes nouum, degutturatum fuerit. Quantò de Diis ſuis ſanctiùs Euripides:

Εἰ Θεοί τι δρῶσι φαῦλον, οὐκ εἰσὶ Θεοί.

Si Dij quid faciunt mali, non ſunt Dij.

Audiſti blaſphemum, audi fatuum: *In regno cælorum futuri ſunt canes, oues, boues, piſces, & alia eiuſmodi animalia, cum quibus animi cauſſâ luſuri ſumus.* In colloq. menſalibus c.49. titulo De vitâ æternâ.

Canini,

Canini, ouilli, bubuli cęli heres Lutherus: & qui poſt hunc magiſtrum diſcipuli. benè ſit illis de hoc cælo: nec inuidemus. Huius ille cæli ſi Euangeliſta, ſi Apoſtolus eſt, næ ille bellus caninus & bubulus Apoſtolus eſt. Quòd ſi & ab hoc cælo Euangelium ſuum nouus denuntiator acceperit, non pugnamus, Euangelium concedimus, & Euangelium nouum. nam in quo alio cælo feſtiuum hunc animi luſum reperiet? aut quod Euangelium ludum hunc promittit mundo? De Chriſto, ſponſio hæc non venit: de Antichriſto ergo promiſſio erit; & de huius Euangelio Euangeliſta erit, de huius imperio denuntiator erit.

Tranſeamus ad Caluinum: videamus, pudentiórne Magiſtro ſit diſcipulus, certiorque præco Euangelij noui. *Nihil actum erat, ſi corporeâ tantùm morte defunctus fuiſſet Chriſtus*. quâ igitur? animæ? an diuinitatis? in quo Euangelio hæc ſcripta ſunt? Verùm audiamus ipſam beſtiam infami rugitu ſenſum ſuum retegentem: *Diros in animâ cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit; omnia irati ac punientis Dei ſigna expertus, cùm mortis & Inferorum doloribus certamen ſubiit; quaſi Deo irato in labyrinthum malorum proiectus fuit.*

Inſtit. li. 2. §. 10.

Inſtit. l. 1. c. 16. §. 10.

Creſcit impietas. quaſi pigeat vnâ blaſphemiâ,

miâ, tamquam vno ructu aërem inquinaſſe: toto vomitu niſi cælum ſpurcet, nimis religioſus eſt. *Diuinæ maledictionis horrore perculſus eſt.* &: *Species Chriſto obiecta eſt, quaſi Deo aduerſo iam eſſet exitio deuotus, horrore correptus eſt.* Stabit hic blaſphemia? non magis quàm lapis ſemel manu miſſus. *Alienationem Dei mente concepit, prout ſenſus dictabat.* &: *Nec verò ficte, nec theatricè conqueritur ſe à Patre derelictum.* nimirùm, vere. ô linguam! *Sed abſurdum videtur, elapſam Chriſto deſperationis vocem. Reſpondeo, facilem eſſe ſolutionem. Hanc deſperationem ex ſenſu carnis eſſe profectam. Nihil obſtat, quo minùs Dei alienationem mente conceperit, prout ſenſus dictabat. Sic videmus Chriſtum ex omni parte vexatum fuiſſe* (audi belluam) *vt deſperatione obrutus ab inuocando Deo abſiſteret. quod erat ſaluti renuntiare* O voces impias! ô ſacrilega verba! ô mentem inferno natam! ô nullis ignibus piandam! potuit aliquid in blaſphemiis excogitari immanius? potuit inter portenta vaſtiſſimæ barbariei triſtius reperiri monſtrum? Periit Nazarenâ manu de diuortio ſuo minitabundus Imperator: iacet Sodoma, & olet adhuc incendio terra, ſolâ nota fuligine, diuinæque teſtatrix dexteræ, non in vacuum ſcelera flagellans: quid fiet de hoc diuinitatis impio infuſcatore?

In cap. 26. 27. Math.

In cap. 27. Math.

tore? non voraginem pauescet, aut ſoli ingluuiem? ſtabit hæc lingua, ſtabit dextera Iulianæâ de impietate blaſphemior? nec decinerascet, Gomorrhæ nubilo deuſta, in vagum puluerem, veriùs in ſolis ignibus rédanimanda? Aut quos demum ignium imbres improbitas hæc merebitur? Olim homo damnatur in mortem ob vnius arbuſculę delibationem, & exinde proſiliunt delicta cum pœnis, & pereunt qui paradiſi pomum nullum norant. quid fiet de hoc portento? non iam Scythico, non Pontico; nomen immanitas non reperit. quid de diſcipulis in eâdem blaſphemiæ lineâ non rarò ſupra Magiſtrum ſæuientibus? vt arbitreris de blaſphemiâ creſcere in illâ ſcholâ laudem: nec aliam coronam capiti intexi, quàm blaſphemiæ manibus alumnatam: nec alia luminaria Euangelio Dei præferri, quàm igneo blaſphemiæ vomitu redaccenſa.

Vno hoc euicero exemplo: plura vetat pudor. Mollior diſcipulo viſus Magiſter, quàm cogitati ſemel ſceleris ferret atrocitas: retuliſſe pedem verecundius illi viſum, quàm tantam ſobolem tanti patris deceret; impietatem impietati inædificaſſe glorioſum. ergo deuomere placuit quidquid nulla retrò ſæcula; & ex dæmoniorum prædamnatitiis, peſtilentiores hauſtus offundere diuinitati,

vt

vt viciſſe Magiſtrum videretur: néve modeſtior illo, qui Dei ob præcellentiam, noſter ob diuortium æmulus, iudicaretur. & meâ ſententiâ vicit; Magiſtrum impietate, hunc ſcelere, vtrumque furore, amentiâ, blaſphematione.

Verba te docebunt: *Ingenti onere iræ diuinæ obrutus, flammis inferni addictus, profundo inferni gurgite ſepultus, demerſúſque periit.* Beza, annotat. in cap.26. 27. Math. & in 22. Luc.

Potuit aliud, vel à totius inferni conſpiratrice malitiâ, excogitari ſceleroſius? Olim diuinæ Legis contemptores imbribus, igne, Gen.7. ſerpentibus, domeſticis cæſi gladiis: olim Num.17. Num.21. Pharao ſummi Numinis legatorum ſuperbus excuſſor, Exod.32. aquarum cóncordiâ in exitium Exod.14. datus: olim denique irreuerentibus in Prophetam pueris vrſi immiſſi: quid fiet de hoc 4.Reg.2. ex impietatibus & furore, blaſphemiis conflato furiali monſtro? Non tulit terra refragantes de primatu æmulos Core, Dathan, Num.16. Abiron, & ducentos quinquaginta Synagogæ proceres. Non ſtetit mare Ægyptiis, Iſraëli proſciſſum; non fulgura, non imbres Exodi 14. ignei, Sodomæ, Gomorrhæ, & tot vrbium Gen.19. depopulatores: & ſtabunt hîc terra, maria, nimbi, fulgura? nec ſurgent vindices? inſurgent feriùs? creſcit tarditate, & morâ ſuâ inualeſcit Dei manus, fœnerariâ pœnarum duplica-

plicatione. Quamquam quis mirabitur blaſphemum diſcipulum, qui audiuerit Magiſtrum? *In Chriſti morte ſpectaculum deſperationis plenum occurrit.* &: *In iſto ſpectaculo nihil quã extremæ deſperationis materia erat.*

Caluinus, Matth. 27. Ioan. 24.

Vocem ſacrilegam, nec aliis, quàm æternis ignibus alendam! & ego credam hanc à Deo, terris poſt mille quingentos annos immiſſam? credam imperio magni Dei delectum Caluinum in Apoſtolum nouum, qui de blaſphematione lucem præferret nouam, quâ ſæculorum caliginem denubilaret? credam à primâ VERITATE hunc blaſphemiæ Solem mortalibus conceſſum, qui tot ætatum noctem, & altam noctem, blaſphemiæ radiis colluſtraret? nimirum omnis retrò ætas denſis ſepulta tenebris, nouum hunc Moſem ſuſpirioſis ambibat votis. hic ergo ille erat, qui electam ante tempora ſæcularia Deo gentem è durâ ſęculorum ſeruitute eriperet; qui ignorantiæ vela deuelaret; qui tot ætatum cæcitatem, in perſpicaciſſimam viſualitatem felici demutaret metamorphoſi. antè itaque noctuæ, & errantes noctuæ, nunc nouo hoc ſidere factæ ſunt aquilæ, quæ blaſphemię oculos in ipſum iacularétur Deum. Hoc dici? hoc credi? & dici, & credi, hanc impietatis dexteram, tamquam Petri, tamquam Paulli, orbi conceſſam in ſalutem?

O pepo-

O pepones, ô braſſicas, qui hæc credant!

Inuerecundior etiam his omnibus Menno, & ſub illo Gabiniano ſupercilio, ſanguinem, cædes, libidinem ſpirans, miro artificio, dum tegit impietatis documenta, incautos transhaſtat blaſphemiæ ferro, ſed ferro ex impuritatibus malleato. nec recludo tamen hoc ferrum; non educo ex cæcis anfractibus tortuoſum hunc colubrum, ne ſimul retegam impudicitiæ latebras, nullis oculis luſtrandas, nullâ lucernâ denoctandas; ne cælum, ne hunc quo veſcimur aërem, ne pudoris genas impuret lucifuga hæc beſtia, ex omnium impuritatum defloratione compoſita. At, neſcio, vllane credet poſteritas, tam immane monſtrum, Friſiæ prognatum paſcuis, tot terras, tam latè ſparſas, venenare tam fœdo potuiſſe coagulo? Non addam plura. vindicet ille generoſitatem ſuam, vindicet Euangelium ſuum, ex omnium commiſtione libidinum: & poſt hæc omnia, Deum ipſum auctorem proclamet impuratiſſimi Euangelij ſui. Ita ſemper διὰ ἡδονὴν τὰ φαῦλα πράττομεν. *Voluptatis impulſi blanditiis ad praua impellimur.*

Nobis væ, ſi exceſſerimus in aliquo Scripturæ regulam: ſi maiorum placita, iam inde ab Apoſtolis aut Apoſtolicis viris longâ retrò ſerie de manu tradita, prætexuerimus.

at verò Lutherani, Caluiniſtæ, Mennoniſtę, Euangelium ſinguli ſuum nouis commentis, nouis ſomniatis fabulis, blaſphemiis nouis vindicent: blandiente nimirum illis nequitiæ ſpiritu, qui & ipſe de mendacio, de blaſphemiâ profecerat. & cùm vnam Scripturam clament, ipſi nullâ Scripturâ nixi, imò in contrarium abeunte Scripturâ, quidquid libuit, ſacrilegum ſit an blaſphemum, tamquam à Spiritu ſancto nouè acceptum, deructant muſto pleni, ſed de Bacchi torculari pleni. Maioribus verò quæcumque ab indiuiduis cum Apoſtolis, aut Apoſtolicis in comitatu habitis, tradita, nobiſque adſignata ſunt; ſi non claram Scripturam, & manu etiam plebeiâ tangendam, præferant, rident fabulas. Et cùm tam diri in nos ſint de Scripturâ cenſores, in ſe tam munifici de Indulgentiâ ſunt, vt quæ nuſquam ſcripta, nuſquam dicta ſunt, ea tamquam à Spiritu ſancto dicta ſcriptaque ſint, palàm obtrudant omnibus: indignabundi, ſi addubitas; maledici, ſi reſpuis. Euangelium deinde ſuum, impuritatibus, blaſphemiis, ſacrilegiis infarciunt, tamquam ſine hoc impietatis larido, macie ſuâ langueat. & poſt hæc omnia, erit qui credet, aut Euangelium illorum de Spiritu ſancto eſſe, aut Apoſtolatum de Deo? pugnantia Euangelia ab vnâ VERITATE?

pugnan-

pugnantes Euangelizatores ab vno Deo? tot propudioſarum incentiua libidinum, tot infanda! blaſphemiarum genera ab optimo Numine, caſtiſſimo Numine? Heu æui noſtri dedecus! hæc dici & credi! O Belgium! quòd iaces & peris, hanc habes vel inter primas vel ſolam cauſſam, ſed & à te hæc credi! vbi mens tua & oculi? eripe te ex hac nocte, oſtende diei frontem. niſi te ipſum damnas, tenebraſque tuas, tum me vnum de ſcenâ tuâ fatuum arbitrare.

CAPVT VII.

Fidei ab illis denuntiatæ origo & vera cauſſa, faſtus, luxus.

Origines, & ex vero cauſſa Lutherani, Caluiniani, Mennoniani Euangelij: è quibus nullo negotio quiuis peruideat, non poſſe huius auctores cenſeri Apoſtolicæ Fidei præcones.

SPERAVERAT Lutherus, cùm ingenio & eloquio poſſet, Indulgentiarum ſub Leone X. denuntiationem: ſed alium è Dominicanâ familiâ prærogatiuâ delectione deſignatum, indignatus, de Eccleſiæ authenticæ regulâ abru-

abrupit. & vt ſolent animi prò prioratu ex-citi, præſumptione vltionis accendi; ad ex-pugnandam conuerſus VERITATEM, adul-terinas ab hac ſemitas actu colubroſo deli-neauit in Germaniæ interitum, audaci auſu, ſecundo euentu, cùm ferè zizania feliciùs enaſcantur cum enectu bonæ frugis. nec de-fuerunt imitatores, cùm quidquid eſſet in lege aduerſum carni, inimicum ſanguini, ad viuum reſecaſſet: vt ipſa illius iam mollis planicies plures traheret in ſequelam; inde in mortem, & mortem ſecundam.

Dixi ſeceſſionis occaſionem: accipe cauſ-ſam. Sacratiori Lutherus ſe & caſtitatem ſuam voto, tamquam ſecuri, Deo mactarat, opimam victimam: cæſam indoluit. Quid faceret? tenebatur victima. totam ſæculi car-niſque prudentiam per latebrarum ambages torquet: quærit per anfractus, quî ſeſe euol-uat. nihil inacceſſum malitiæ; veteres dam-natas opiniones excutit: ſeligit placitura: & in vnum corpus maſſaliter ſolidata, defigit ſeorſim, nouæ iam geniture parens nouus. expeditus ergo de durioribus, & in molliora ſemper opera frugeſcens, parit demum no-uum Euangelium, Æſopi graculum, ex dam-natitiis ornatum: niſi quòd quædam de ſuo adiecerit. certam exinde ſibi, certam ſuis ſpondet ſalutem, imò debitam, ideoque nec

opera-

operationes neceſſarias ſibi exiſtimat, nec vlla diſciplinæ munia obſeruat, Pœnitentiæ elidit neceſſitatem: ſatis illi Chriſtum paſſum, & nobis paſſum. exceſſit aliquis à diſciplinæ iugo, obtorpuit in operibus ſanctitatis? fide ſolâ noxa omnis euertitur. voto ſe virginemque ſuam ſanctiori deuouit, vritur? melius eſt nubere, quàm vri: hinc honorandum illi ſemper ſuper omnia coniugium, & magnum ſacramentum, feminæ adhærere: adeoque degener illi, nec legitimus VERITATIS, qui diuerſatus in mundo non adamauit feminam, nec ei ſe iunxit. Non hic Sabinas raptas iure matrimonij plaudet, qui refugâ vxore ancillam prouocat, quidquid clamet Paullus, *Fugite fornicationem?* &: *Nolite errare. neque fornicarij regnum Dei poſſidebunt.* &: *Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt vnâ die vigintitria millia.* &: *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione.* imò: *Fornicatio autem & omnis immunditia aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.*

1. Cor. 6.
1. Cor. 10.
1. Theſſ. 4.
Epheſ. 5.

Habes in Luthero ſeceſſionis cauſſam. videamus cuius auctoritate prodierit Germaniæ præco nouus. Chriſti? ſigna non docent, opera non docent. quid ergo? Chriſtus miſit. Planè neceſſum ad Chriſtum confugiant,

giant, aut ad cæleſtem Patrem : nam ab homine ſcimus nō miſſum. Adlegit ergo Chriſtus nouum hunc Saxoniæ Apoſtolum, damnato veteri VVillebrordo, VVilfredo, VVulfranno, VVillehado, Echberto, Lebuino, VVerentfrido, Luitberto. Verùm vnde mihi explorata hæc adlectio? Ad SCRIPTVRAM prouocant. at ego nuſquam lego Lutherum Apoſtolum. lego multos Veritatis ſub pellibus ouium rapâces lupos: ex hoc Apoſtolatu, aut Simonis aut Elymæ Magi, aut Iſcariotis Iudæ, ſi Lutherus eſt, cauſſam nullam dico, viciſtis. Lego deinde pſeudoapoſtolos, adulteros Euangelizatores, Antichriſti præcoquos curſores ad infeſtandum Chriſti gregem, ſub Chriſtiani nominis extrinſecâ ſuperficie deliteſcentes: ex hoc pſeudoapoſtolatu ſi Lutherus eſt, viciſtis: deſero arenam; & totum hunc campum victoribus trado. ouent, triumphent Lutherani ſoli.

Verùm quid Caluiniſtæ, quid Mennoniſtæ ad hunc triumphum? concedent Lutherum delectum à Deo, qui ſęculorum noctes altas ſole ſuo denoctaret? fatebuntur doctrinam illius à Deo? fatebuntur omnem? Numquam facient: niſi ſua damnent, ad illius caſtra tranſeant, illius triumphalem currum victi diuitent nobili pompâ. aut ſi non probant omnem, ſed partem vnam, vt probam,

bam, vt Dei; reliquam repellant vt à maligno; cur illa Dei, hæc non Dei? Lutherus vult omnia à Deo: Caluiniſtæ quædam. Cur non omnia? aut cur hæc quædam, non alia? aut quis credat vnum eumdemque Apoſtolum, & pſeudoapoſtolum? primum in iis quæ à Deo, ſecundum in iis, quæ aut ab ingenio ſuo prauo maloque, aut ab æmulo VERITATIS ſpiritu?

Tranſeo ad Caluinum. qui è Nouiodunenſi Clero, poſt demeritos Sodomæ cineres, poſt infandum theatrum maſculum, poſt flagra, poſt lilia, extorris, dum ſingula diſpicit, vt in deſperatâ ſalute, Lutherum nactus Magiſtrum, de Eccleſiæ regulâ abrupit. & quæ ab illo ſubfermentata, ſubdolâ ſubegit manu. ac ne tam rudia Gallis ſuis obiiceret, defarinata placuit oſtentare; vt Magiſtro ſuo, licet reapſe licentior, & in omnem libidinem fuſior, verbo ſaltem, palamque ſeſe oſtenderet pudiciorem. & quo faciliùs illo libidinis imbre, quem Nouioduno detulerat, Galliam ſuam perplueret, ſub Euangelij nubilo, ſub ſacrarum Scripturarum mentito velamine Gomorrhæas fęces iaculatus, non leuem manum maculauit. nec contentus Magiſtri ſui placitis, tenuiore cribro, in rariorem ſuauioremque aſperginem, colatum ex omnium prædamnatarum hæ-

reſium defloratione, Euangelium ſuum ſtruxit, Acci patinam. Hanc patinam, & omnem patinam, ex Euangelicâ penu, ex Apoſtolicis cellis promis, ſtruxiſſe vult videri; ſed manu ſuâ ſtructam, tamquam ſi illam tot ætatibus expectaſſet, à quâ digerenda, componenda, ſubſarcienda, populo demum oſtentanda foret.

Dixi cauſſam. originem extra Caluinum non reperio. ille mihi primus fidei huius ſtructor. ille hanc Pandoram adornauit Galliæ. Nam ſi ad Lutherum prouocas, diſcipulus hic ſupra Magiſtrum eſt: aliud ſapit, aliud ab illo docet, diuerſas Scripturarum ab illo expoſitiones commentatus: neque hoc in leuibus; in ſummis fidei & ſalutis capitibus. illius quædam recipit, quædam reiicit; damnat alia, probat alia: demum Euangelium ſuum facit; erubuerat ad Magiſtri. ergo primus fidei ſuæ aſſertor Caluinus; ſidus magnum in tam denſâ ſæculorum nocte. aut ſi non primus, alium deſignato, qui omnibus retrò ætatibus eadem docuerit, eadem omnia. Si ad SCRIPTVRAM prouocas; prouocat & Lutherus. ſi ad APOSTOLICAS ECCLESIAS, matrices & originales Fidei; conſpirare ſe cum illis dicit Lutherus. & tamen ſi ad Apoſtolicas, ad quas? vnam, vnam: nam quid expeditius vnâ? Iam illæ ipſæ, ſi quæ

ſunt,

ſunt, Apoſtolicæ veſtræ, quibus ſucceſſoribus, quæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto acceperant, tradiderunt? &, à quibus Caluinus hæc accèpit? quis illi per Apoſtolicos ſucceſſores traditum in manum dedit? publicandum dedit? à quo? cuius imperiò? nutu? monitu? Chriſti? vigili, an dormienti data hæc imperia? quo die? nocte? in Nouiodunenſi theatro? ſub Lutheri diſciplinatu? an poſt illum? quis audiuit vocantem? quis monentem Dominum? Caluinus dicit. Sed & Lutherus & Menno eadem de ſe teſtantur. ſi dicenti fides adhibenda, cur eandem non accommodem Luthero, Mennoni? cùr ſexcentis aliis? Omnibus adhibere Fides vetat; Veritas vetat; vna eſt, vt Deus vnus: vni adhibere, & vni tantùm, nulla ratio euincit, nulla virtus edocet. nam prærogatiuam hanc cur vni? cur vni tantùm? Conſule reliquos. Reclamant; ſi decurrendum ad ſuffragia. Caluini doctrina ab Euangelio non eſt; aut ſi eſt, Lutheri & Mennonis ab Euangelio non eſt. Vnum enim Euangelium eſt, vt Fides vna, Deus vnus.

Venio ad Mennonem. huic caſtior viſus Lutherus, qui ad ſolas ancillas libidinatum mittit dominum, herâ negante. ergo refibulat omnem carnem, & omni viro omnem tradit reſignādam. idq; ex Euangelio. O vbi frons?

frons? & tamen ab Euangelio. Fuerunt qui crederent; ad fabulas proni, ad mendacia faciles, ad fraudes columbæ. à quibus ſi bonâ fide quæras, quid ſentiant; corrugatâ fronte, lento vocis ductu, Altum eſt, aiunt, quod quæritis, ſpiſſiſque inuolutum nubibus, quas nemo retegat, præter ſpiritũ, quem in mundo miſit Pater in eruditionem. Sin pergas & abdita ſcruteris, per ambages ea protrudunt, quæ nemo expediat Theſeus. Quòd ſi altum illud ſub fœdâ conditum nube retexeris, negant; nec agnoſcunt quod non pudet facere, Deo, tenebriſque teſtibus. Si Euangelium poſcas, ſi Scripturam ſacram, proferunt coëlementatum ex Lutheri rudi paraturâ, inflabellatum ſpiritu nouitiæ repercuſſionis, ex fæculentiſſimis omnium retrò prædamnatarum libidinum olenticetis: ita totum hoc corpus ſuum faciunt, figulant, animant ex fœdo libidinum coagulo. quod dum faciunt, tum eò inuerecundiarum deuenerunt, vt vniuerſam doctrinam ſuam, quam impudentiſſimis obuoluunt nebulis, naturificatam velint ſpiritali cõditioni, quaſi toti fiant intellectuales: credo, nec iam detentui, nec conſpectui obnoxij: & quò faciliùs trahant in partes ſimplices animas, aut ad ſcelera pronas; ſectatores ſuos priuilegio ſtatus, quidquid demum agant, cogitent,

etiam

ètiam in deliquentiâ quorumcumque deli-
ctorum, ſaluti certæ deſtinatos volunt: à quâ, nec ſi velint, excidant. reliquos hoc ſuo ſpiritu non inundatos, licet numquam exceſſerint, licet numquam excuſſerint Dominicæ diſciplinæ iugum, numquam obtorpuerint in operibus ſanctitatis, iuſtitiæ, charitatis, timoris & amoris Domini, abortui deſtinant. Sed à quo Euangelio, ſi non à ſuo? à quo & Lutheranos & Caluinianos omnes exheredauerunt vt extraneos, abdicauerunt vt Euangelij ſui inimicos. Vnde autem extranei, vnde inimici, niſi ex diuerſitate doctrinæ, quam quiſque de ſuâ mente protulit, & iuſſit eſſe Euangelium? At verò vnius Euangelij diuerſitas eſſe non poteſt, non magis, quàm vnius VERITATIS pugnantia dogmata. ergo Euangelij veri adulteratio ex diuerſitate hac deputanda eſt. Qui igitur adulteratores, qui deputandi corruptores? qui diuerſitaté hanc inuexerunt expoſitionum varietate, contrarietate: qui de proprio intulerunt: qui detractione, adiectione, tranſmutatione, remedia de venenis attulerunt. qui? Si omnes, quid pugnamus? ſi vnus, ſi duo, qui? Menno? nullus propiùs ſuxit vbera VERITATIS: nam Caluinus illi & Lutherus extranea ſuxerunt. At Lutherus vbera hęc vindicat ſibi vt primogenito; ſibi Caluinus tamquam Ia-
cob

cob qui ſupplantauerit Eſau. Quid agam? cui hæc vbera? nulli. & finio. aut cur vni veriùs quàm alteri? omnes ſua aſſerunt. cur vni potiùs quàm alteri? aut quod documentum certius adducit Menno? Scripturam? eamdem Lutherus, Caluinus eamdem. ſenſum illius genuinum & Apoſtolicum? idem inclamant reliqui. cui fides? cui? Si cauſſam addis, reliqui vt ſuam vendicant. cui fides? dices reliquos in ſententiis coarctiores, in coniecturis duriores, in argumentis operoſiores, idem reliqui aſſerent de Mennone. cui Fides? aut cur vni? & cui potiſſimùm? cauſſa nulla. quamcumque attuleris, obtendét alij, & pro ſe quiſque rapiet; neque vllam reperies, non ſi ſtomachi ineas euerſionem & cerebri, quam non quiſque ad ſe trahat, ſuam dicat.

Redeo ad Mennonem, & ad Euangelij illius originem. A quo Menno Euangelium ſuum? quis totâ Friſiâ idem ſenſit? quis orbe toto Epiſcoporum? quis ex omni antiquitate? imò quis ante Mennonem ex omni nouitate? Tot ſeculis Euangelium hoc latuit, VERITAS latuit? nam quæ ab hoc Euangelio diuerſa ſunt, ex Mennonis mente de mendacio ſunt, à patre Diabolo ſunt. Diabolo ergo non Deo, mendacio non VERITATI ſeruierunt, quicumque omnibus

retrò

retrò ſæculis vixerunt. Omnes igitur in eâdem cum Diabolo damnatione ſunt: aut ſi non omnes ſunt, qui non ſunt? vnum deſigna. quemcumque deſignaueris, neceſſum eadem per omnia cum Mennone ſenſerit, dixerit. Hunc talem tu mihi vnum ex omnibus retrò ſcriptoribus, magnis, illuſtribus, vnum: imò, ex omnibus omnino vnum. Lutherus? negant Lutherani. & quâ Mennoniſtæ ſpongiâ Euangelium Lutheri deleuerũt, eâdem Mennonis Lutherani. Caluinus? negant Caluiniſtæ. Denique ne in vno Mennone hæreat oratio: vnum mihi omnibus retrò ætatibus Lutheranũ, Caluiniſtam, Mennoniſtam: vnum qui per omnia cum Luthero, Caluino, Mennone ſenſerit, nec deflexerit ad dexteram aut ſiniſtram.

REDAN. Satis nobis, Apoſtolos idem per omnia nobiſcum ſenſiſſe.

LIPS. Primò. cum quo? Luthero? Caluino? Mennone? vnum delige. omnes non potes; orbe toto diſſident. Quis hic vnus? aude aliquid te dignum. quemcumque delegeris, reliquos damnabis. aude tãtùm. vnum tu mihi, vnum. quem vbi deſignaueris, quis diſcipulorum, illius Magiſtri mentem ſecutus? nam cùm horum ſinguli variarum in fidei rebus opinationum nacti ſint diſcipulos, ſententiarum contrarietate noſcibiles, quis

Magiſtri

Magiſtri expreſſit mentem, Apoſtolorum ſententiæ per omnia conteſſerantem? Sed & diſcipuli huius auditores, mutuò de Magiſtri ſenſu digladiantur. quis illum aſſecutus? quis magnum illud, vnum, verum? Deinde vis credam omnes ab Apoſtolorum exitu in annũ 1517. erraſſe? aliud intellexiſſe, credidiſſe, quàm Apoſtoli prædicauerant? veriſimilia arbitraris, tot, tantos, tot ſæculis in vnam fidem erraſſe? Nullus inter tam multos repertus, qui VERITATEM aut aſpiceret, aut retegeret? Tot ætatibus Lutherum, Caluinum, Mennonem, liberanda Veritas exſpectabat? intereà omnibus illis annis perperàm euangelizabatur? perperàm credebatur? Tot millia ex Mennonis mente perperàm tincta, quia non in adultâ ætate tincta? tot opera perperàm è Lutheri placitis peracta? tot Sacramenta Caluino cenſore perperàm adminiſtrata? tot ex omnium ſententiâ ſacerdotia perperàm functa? martyria perperàm coronata? aut ſi non perperàm, nec in vanum. Quale rogo eſt illud, Deo operari, Deo placitura de penetrali pectoris vota libare, qui Dei non eſſent? qui alienam vocem noſſent, ſequerentur ductorem, reuelatorem alium, qui cùm Chriſto caderent, Chriſtum negarent? quale eſt, VERITATEM ore proferre, & de VERITATIS deſtructore cenſeri? hunc ſequi,

qui, illum nudâ voce iactare? Vnus Deus eſt, vnum Baptiſma, Fides vna. nec magis Baptiſmata duo, Fides plures, quàm Dij duo, aut plures. Quare ſi Deus vnus, vnus tãtùm; Fides etiam vna, vna tantùm. nec alia ſemita eſt ad Deum vnum, quàm per fidem vnam. Nemo ad Deum mendacio venit. mentitur quiſquis fidem profitetur aliam, extra illam vnam, ab vno Deo imperatam. hanc fidem vnam, & vnam tantùm, non reperies apud Lutherum, Caluinum, Mennonem. neque enim apud eos fides vna, ſinguli profitentur ſuam. neq; apud ſingulorum diſcipulos vna. apud quem ergo hęc fides vera & vna, ab vno vero Deo nata? ſinguli ſuá volunt. omnium eſſe non poteſt: nec potior prærogatiuæ ratio vnius quàm alterius. nec maior in vno quàm in alio nouus elucet Apoſtolátus. Et omnes interim ſe volunt Apoſtolos, omnes Scripturarum & expoſitionum veritatem arrogant ſibi, detrahunt aliis, omnes VERITATEM & diſciplinæ Chriſtianæ fideique certitudinem. Cui proinde ex his omnibus Apoſtolicum deferam munus? omnibus nõ poſſum. cui ergo? omnes arrogant ſibi, cedit nemo. ferentq; faciliùs nulli hoc deferri, quàm vni. nulli ergo, nulli defero: nec ſine mendacio, aut omnibus, aut vni potiùs poſſum quàm alteri. ergo nulli, nulli.

APPROBATIO.

CONTROVERSA *hæc, per R. P.* CAROLVM SCRIBANIVM *Societ.* IESV *Presbyterum ſcripta, quòd præcipua Orthodoxæ fidei dogmata ſolidis argumentis confirment, eáque à Sectariorum noſtri æui calumniis vindicent, vtiliter ad multorum inſtructionem in lucem emitti ac diuulgari cenſeo. Actum Antuerpiæ*, X. *Auguſti*, M. DC. VIII.

Laur. Beyerlinck S. Theol. Licent. Eccleſ. Antuerp. Canon. Librorumque Cenſor.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimorum Belgicæ Principum, Priuilegio cautum eſt, nequis *Orthodoxæ Fidei Controuerſa*, quæ CAROLVS SCRIBANIVS Societatis IESV Theologus conſcripſit, præter voluntatem Ioannis Moreti Typographi Antuerpienſis excudat, aut alibi excuſa in Inferioris Germaniæ ditiones importet. Qui ſecùs fecerit, confiſcatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XII. Septembris, M.DC.VIII.

Signat.

N. Lombaerts.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD IOANNEM MORETVM.
M. DC. IX.

LABORE ET CONSTANTIA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-2

Digitized by Google

BIBLIOTECA